


IO. ANTONII

VIPERANI

DE REGE, ET REGNO

LIBER.

*Ad Regem Philippum Caroli V.
Imp. F.*



A N T V E R P I A E.

Ex officina Christophori Plantini.

M. D. L X I X.



REGI PHILIPPO³
CAROLI V. IMP. F.
Io. Antonij Viperani Carmen.

EST honor summo ab Jove. Musa caelo
Grata cū Nymphis ades, & Philippi
Regium magni genus, & supremos
Concine honores.

Cui dedit sceptrum, Thernidisq; iura
Jupiter regum pater, atque auitis
Artibus latè regere, & secundo
Omine terras.

Aureum sceptri decus: inter omnes
Sol poli aternos micat almus ignes:
Rege nil maius: Deus alter ille
Ab Jove summo est.

Temperat ritus, hominumq; cultum
Legibus certis, validasq; habenas
Urbium tractat facili arte, pacis
Candidus auctor.

Imperi qualis columen ruentis
Carolus pastor populorum, & acri

*Mente, & inuictō metuendus idem
Hostibus ense.*

*Unde magnorum noua lux parentum,
Vnica & Diuum soboles Philippus,
Laurea crimens merita reuinctus
Sceptra recepit.*

*Hoc duce, inceptis modo sempiterni
Calites (vobis datus ille cura est)
Leniter vestri faueat benigni
Numinis aura,*

*Cedet inuictis latus omne mundi
Austriæ signis, Thetidisque fluctus,
Et triumphatis super astra terris
Fama feretur.*

*Regiam nuper volucrem, & ministram
Fulminis leta superare penna
Vidimus longè positas columnas
Fimibus orbis.*

*Horret insuetos Aquilæ volatus
Indus, & nullo domitus triumpho
Channibal fortis meditatus armis
Cedere Iberi.*

Audeat

*Audeat posthac minus insolenter
 Naubus circum volitare longis
 Aequora, aut largis equitare campis
 Improbis Afer.*

*Turca cum Persis noua iura regi
 Seruiens vni colet. Ara multo
 Flamma odoratum subigente sumum
 Thure calebit.*

*Fila quae caelo trahitis sorores
 Temporum Parca, Jove comprobante,
 Pensa versatis preciosa longè
 Ducite fusis.*

A 3 REGI

6
R E G I P H I L I P P O
C A R O L I V. I M P. F.

Jo. Antonius Viperanus S.



EMETRIVS Phalereus,
rex Philippe, Ptolemæũ
Aegypti regem ad legē-
dũ de regno libros hor-
tabatur: vt, quoniã amici recta mo-
nere non audent, ipse è sapientissi-
morum hominum doctrinis bene re-
gendi præcepta velut è fontibus per
se hauriret. Etenim ad regem pauci
aditum habent, ijdémque veriti, ne
(quod dici solet) veritas odium pa-
riat, non honesta, non vtilia consu-
lunt, sed ad gratiam, & voluptatem
omnia loquũtur. Nec falso rex An-
tiochus, is, qui cõtra Parthos recun-
dò exercitum duxit, non in ampla,
& pretiosa aula à domesticis, clarisq;
principibus, sed in humili, & vili ca-
sa,

sa, ad quam inter venandum diuerterat, ab ignotis, & rusticis hominibus vera de se primùm audiuisse confessus est. Illi enim hominem ignorantem, rogati qualis rex esset, bonū quidem esse dixerunt, sed multa negligere, multa perperā facere; quòd nimiū venationi deditus esset, simul & improbis viris vteretur familiaris. Quin etiam ipsimet reges dum putant omnia sibi licere, perlubenter audiunt, quæ arridēt, & se blanditijs irretiri sinunt, & falli æquo animo patiuntur, fiuntq; (vt Comicus poëta loquitur) ex stultis insani. Vnde secum ipsi dissidentes, asperi, & morosi nemiinem audiunt; ne priuentur his voluptatibus, quas ex principatu percipiūt, si honestatem sequi ratione cogatur. Ita falsa quada, & blanda felicitatis opinione decepti, verecūdiæ fines, & modestiæ

transeunt, malisque moribus imbuti sensim in tyrannos euadunt: quorum inter cætera mala hoc, mea quidem sententia, maximum est, quod nulli sunt illis amici, à quibus recta moneantur. Est enim vnusquisque nimium amās sui: amor verò (vt inquit Plato) cæcus est, quare sui quisque iniquus est iudex. Nec quisquā est hominum ita sapiens, qui in rebus suis non peccet aliquando, & aliorum plerunq; admonitu non indigeat. Quapropter rogatus à quodam Theopompus, quonam pacto quis regnum securissime tueretur; si, respōdit, amicis liberam facultatem loquendi concederet. Cùm igitur monitoribus careant, legant sapientissimorum hominū libros, in quibus tanquā in speculo vitæ suæ formam contemplantur. Quam ré malè morati reges parui faciunt; non secus

ac deformes mulieres imaginē suam
in speculis videre contemnunt, ne
malæ vitæ conscientia cōuincantur.
Quòd si adeo perniciosi sunt hi, qui
principum mores corrumpunt, nam
vnius exemplo multis nocēt, & lau-
dandi erunt, qui optimis monitis, &
præceptis regum animos imbuere
conantur; quorum virtus omnibus
sit profutura. Est profectò bonum eo
maius, & maiore laude dignū, quo
in plures emanat. Quis non iure Pla-
tonem laudet, quod ad Dionysios
tyrannos nauigauerit nō honorum,
non pecuniarum cupiditate permo-
tus, sed vti regum animos sanaret
multis perturbationibus ægrotātes:
è quorum bona valetudine, & tem-
peratione reliqui ciues libertatem
vitæ adipiscerentur? Siquid em infir-
mo capite membra valere non pos-
sunt. Idem fuit Pythagoræ studium

cum Italiae principibus, idem Antisthenis, & eorum philosophorum, qui sunt in aulis versati, ut bonis moribus, & praecipis regum vitam instituerent. Quibus autem hoc non licuit, vel certe non libuit, sed regendarum ciuitatum praecipia literis mandauerunt, quae liberius loquuntur, cum nullo pudore afficiantur, non minorem profecto laudem illis ego deberi sentio, ut Aristoteli, Theophrasto, Isocrati, & (si est nostris aliquos recedere velimus) D. Thomae, & Synesio Cyrenes Episcopo. quorum alter librum conscripsit ad regem Cypri de regimine principum, alter Arcadio Imp. multa, & praecleara tradidit praecipia bene regendi. Magnam etiam gloriam Xenophonti peperit Cyri paedia: in qua optimam regis institutionem expressit, non tam historiae veritatem sequutus, quam boni regis

regis simulachrum effingens, æmulatus (vt volunt) Platonis de rep. libros. & Magia Zoroastri tanto in honore, & pretio à regibus Persarum habitata est, vt illam sæpius legere cõsueuerint, ne morum improbitate, aut opinionum varietate corrumpentur. Neque velim existimes minoris virtutis esse tueri regnũ, quàm parare, & malè institutam remp. corrigere, quàm nouam instituere: vt difficilius est (inquit Aristoteles) post discere, quàm ab initio didicisse; & grauius è diuite pauperem fieri, quàm omnino diuitem nunquam fuisse. Quamobrem Augustus Cæsar Alexandrũ demirabatur, quòd addubitasset, quid acturus esset, postquam vniuersum orbem suæ ditioni subiecisset: quasi non maioris momenti opus esse duceret gubernare partũ imperium, quàm magnum, & amplum

plum acquirere. Minusq; laudatur Epirotarum rex Pyrrhus, quòd non esset vt in acquirendo egregius artifex, sic etiam in conseruando aptus. Non enim sapientes viri fines imperij magnitudine, sed firmitate metiuntur; quam æquitas affert, & prudentia. Et quanquàm ad virtutem per se plurimum valet natura; tamè doctrina rerum honestarum, quæ dat bene sentiendi, & rectè agendi vias, illam errare non patitur. Quòd si magni quidam viri extiterunt sine doctrina excellentibus ingenijs præditi; tamè ignoratione philosophiæ contigit, vt se minus illi constanter in vita quandoq; habuerint, nec semel ab honesto, & decoro aberrauerint. At si regendis populis ea te ratione exercueris, & vsum vitæ cõfirmaueris, quam sapiētissimi viri docuerunt, tum quæ voles solerter, & facile

facilè consequeris. Est sane quædam ars, & doctrina tradens bene regendi præcepta: quam hi philosophi sibi vendicant, qui mores, & vitæ rationem docent, & cuiusque officia persequuntur. quæ & difficillima nobis videtur, & præstantissima. nã ad ipsam reliquæ artes, veluti principem, referuntur. Est texédi, & ædificandi ars; & non erit ars, quæ docet resp. instituere, & conseruare? Et qui eam tradunt, & scriptis illustant, nõ merito laudabũtur? Enimverò mihi homini literis dedito, & cui nec aurum est, nec argentum, nullum munus hoc ipso magis idoneum videbatur, quo te donarem, aut te minus indignum, qui acciperes. Dicam autem non de instituendo, sed gubernando regno, nec quibus in locis vrbes ædificari oporteat, nec quibus mœnibus sepiri, aut muniri propugnacu-

gnaculis disputabo, nec magistratuū vim, & rationē definiā, nec præscribā leges, nec sancīā pœnas, aut præmia, nec deniq; reip. formā vllam effingā, quam tu à maioribus tuis sapiētissimorum hominū institutis confirmatam, & auitis, paternisq; consilijs, & armis florentissimā accepisti. sed magnorum ingeniorū sententias sequutus, & insistens veteribus exēplis, quę plus habere solent auctoritatis, vt in ætatibus senectus, non persequar vniuersa regis officia, sed præcipua breuiter attingā: quibus temp. tueri, ciuitates conseruare, & regnū augere possis; atq; his, quos honore, & dignitate præis, etiā virtute, studio antecellere; nec contra leges, aut vi, sed iuste, & sanctè, nec propter maiorum industriam, & fortunam, sed ob animi tui grauitatem, & præstantiam meritò regnare videaris.

15

I O. A N T O N I I
V I P E R A N I D E R E G E,
E T R E G N O L I B E R.

Quibus de causis olim reges constituti
fuerunt, CAP. I.

DVABVS maximè de cau-
sis mihi videntur olim reges
fuisse constituti: Altera est,
vt communem iustitiam, &
æquitatē seruarent: quo vin-
culo societas humana conti-
netur. Nam quæ vita esset,
aut quonam pacto communitas hominum conser-
uaretur, si tenuiores à potentioribus premerentur,
ficerentq; per vim omnia, nullo iure seruato? Alte-
ra, vt ciuium fortunas, & salutem ab inimicis, &
hostibus tuerentur. Etenim vitæ necessitas homi-
nes inter se congregauit, & naturali quadam so-
cietate coniunxit: quoniam ea, quæ hominum vitæ
desiderat, sine alijs parare, & consequi nullo mo-
do possemus. Itaq; ex mutuis adiumentis, atq; of-
ficijs humani generis est conciliata societas. Cuius
principia sunt Ratio, & Oratio: quibus à brutis
animantibus longè differimus. Illis si natura ipsa
parens vniuersorum, munimenta vitæ, & orna-
menta



menta p^u.l^urè, artificioseq, fabricata est, quæ ho-
 minibus denegari; nobis tamen rationem, & a-
 nimi solertiam tribuit, quæ res ad viuendum ne-
 cessarias copiosius, & accommodatius inuenimus.
 Hinc repertæ sunt artes innumerabiles, quibus ita
 exculta, & munita est hominum vita, vt tantum
 iam distet à victu, & cultu bestiarum. Ipsa etiam
 oratio, quæ est animi interpres, docendo, discendo,
 communicado non mouit nos vna sociauit, sed mul-
 tis etiam commodis, & vtilitatibus humanam vi-
 tam expleuit. Neque verò si nulla vitæ necessitas
 nos ad communitatem vocaret, non etiam solitu-
 dinem natura fugeremus: à qua coniunctionis tan-
 ta est in nobis generata cupiditas, vt socios vitæ
 semper quæramus, & studiorum. Ac prima qui-
 dem est maris, & scemine copulatio: vnde vna
 domus, in qua communia sunt omnia. Hinc in alias
 domos est migratio. Nam fratres, sorores, conso-
 brini, cum affinitates, & connubia contraherent,
 nec vna domo capi possent; in alias domos exiue-
 runt. Sic ex vna domo emanarunt pagi, tanquam
 propinquorum colonie. Postremo ex pagis produ-
 ctæ, & propagate fuerunt ciuitates: quæ moribus
 septe, legibus fundata, artibus instructæ, humanit^{er}
 conuictum gratiorem, & tutiorem efficiunt, eo
 certè nobiliores, quo pluribus bonis cumulate, &
 ornate sunt. Ceterum congregatæ multitudinis stu-
 dia, quia si nō ab aliquo regerentur, seruari homi-

num conspiratio non posset. Tanta est enim domi-
nandi cupiditas, vt imperare velint omnes, parere
nemo; tanta etiam rerum appetitio, vt facillimè
violet humanæ societatis iura; quemadmodum in
navigatione, & tempestate ad peritum aliquem
naucularium, & gubernatorem confugimus, sic
ad vnum aliquem ciuitatis gubernacula deferenda
fuerunt, qui remp. æquo iure administraret: sicut
ab Ecclesiaste dictum est; Vbi non est gubernator,
dissipabitur populus. Nam vt corporis partes sin-
gule vim habent suam, distinctam à reliquis, ipsam
autem corpus maiore quadam alia vi regitur, quæ
omnium sensuum tenet principatum; sic ciuitatis
plura sunt membra, & ciuium diuersa munia, quæ
generalis quedam, & cõmunis potestas vna quasi
mente gubernat. Siquidem res omnes, quæ aliquo
ordine consistunt, ad caput aliquod referri debent:
& ciuitatem ad bene viuendum rex ipse mode-
ratur, & regit. Quod in quibusdam brutis ani-
mantibus videre etiam licet, velut in apibus, quæ
imaginem quandam seruant reip. Quin ipse mur-
dus, cuius partes inter se mirabili artificio, & or-
dine connexæ sunt, nisi à caelesti numine regeretur,
conclideret. Nec dubium est, quin primùm illius se
potestati subiecerint, cuius principatum sperabant
sibi vtilem futurum: quem nimirum arbitraban-
tur cum iustitia coniunctam habere prudẽtiam: qui
& rectè sciret, & velle sine fraude communi v-

tilitati seruire. Quoniam prudentia, quæ non habet
 comitem probitatem, calliditas censetur inuisa, &
 odiosa per se ipsa vehementer: iustitia verò sine
 prudentia prodesse modicum valet. Ergo qui sin-
 gulorum ferre imperium non poterant, vnus se
 submiserunt imperio, cui plurimum fiderent ob in-
 telligentie, & bonitatis opinionem: vt ille non
 ineptè pecudibus homines assimilauerit, quæ sin-
 gule per se nullam, congregare verò gregis prin-
 cipem sequuntur. Non solum igitur apud Medos
 (vt ait Herodotus) verum etiam apud omnes gē-
 tes iustitie fruendæ causa bene morati reges consti-
 tuti fuisse videntur. Neque regnum antiquitus (vt
 rerum scriptores prodiderunt) ad filios regum per-
 ueniebat, sed optimo cuique descrebatur: quem ni-
 mirum existimabant reip. fundamenta, concordia,
 inquam, & iustitiam, sancte, sapienterq; conserua-
 turum. Sed quanquam iustitia ad conseruandos ho-
 minum cœtus, qui eodem iure vtuntur, per se ipsa
 plurimum valet: camen, quia principatus libido,
 quæ humanas leges, diuinasque contemnit, vicino-
 rum animos, inter quos, velut inter Empedoclis e-
 lementa, frequens solet esse ab inuidia generata cõ-
 tentio, ad ampliationem potestatis, & glorie in-
 cedit, etiamnũ armis, & castris ab hostibus Kemp-
 a defendere oportuit. Atq; hoc lex nature iubet, &
 ius gentiũ præscribit, vt qui se tueri non possit, al-
 teri se commēdet. Et priscis illis tēporibus singulis
 civi-

ciuitatibus singuli reges praeerāt: mox alijs ciuitati-
bus imperio adiectis dominari gētibus cœperūt: in-
deq; regiones à regibus vocitatae sunt; quas Romani
prouincias appellarunt. Quamobrē iustitia, & for-
titudine rex ceteris praestare debet: vt equitate ci-
ues inter se conciliet, vi temp. ab hostilibus armis
tueatur. Nam quid prudentiam commemorem, sine
qua nulla virtus perfecta esse potest? Et magni vi-
ri semper toga, pariter & armis excellere volue-
runt. Adeoque vox illa Homeri laudata est;

βασιλευς αγαθος, κρατερος τ' αιχμητης.

Et scitè Palladem, quòd rebusp. praesset, ciuilem,
simul & bellicam poëtae confinxerunt. Illudque
iam postremò rectè dici potest, Regiam maiesta-
tem non solum armis decoratam, sed etiam legi-
bus oportere esse armatam; vt virumq; iēpus &
belloꝝ, & pacis rectè possit gubernare.

De Regia dignitate.

C A P. II.

QVIBVS de causis regale nomen magnum,
& sanctum mihi videtur, dignitas quoq; regum,
& maiestas amplissima, qui societates hominum
tuendo diuinam prouidentiam imitantur; cuius
proprium est regere, & moderari vniuersa: vt
dandis, conseruandisq; vite commodis summi il-
lius rectoris vicarij, & ministri merito habeantur;

regni diuini
sua bonum.

quin etiam *Dij* vocentur: quibus sacra litera prohibent nos quicquam detrahere. Et Plato regnum diuinum, ac summum inter mortales bonum existimat: quod ad naturam diuinam propius accedat, & celestem vim maxime attingat. Licetq; multa gerantur ab hominibus praeclare, tamen in conseruandis hominum coetibus, quibus nihil est ipsi Deo in hoc mundo acceptius, magnum diuinae sapientiae lumen, & virtutis elucet. Praeclareque Pindarus — Ε' τ' ἄλλοι-

σι δ' ἄλλοι μεγάλοι: τόδ' ἔχρατον, κορυφῶται βασιλεῦσι.

Quamuis enim multis in rebus praestent alijs alijs, tamen rex dignitate, & honore non humano, sed diuino ceteris omnibus antecellit.

Σκηπτῶρος (inquit: Homerus) βασιλεὺς, ὅτε
Ζεὺς κηδὸς ἔδωκε. & alibi

τιμὴ δ' ἐκ Διὸς ἐστὶ: φιλοῖ δ' ἐμπτίετα Ζεὺς.

& apud eundem Agamemnon de se ipso loquens, — παρ' ἐμοὶ δ' ἐκαὶ ἄλλοι,

οἳ κε με τιμήσουσι, μάλις αὖ δ' ἐμπτίετα Ζεὺς.

Quid Virgilius Romanos, quos vocat rerum dominos, gentemque togatam, quibus artibus, & disciplinis vult esse instructos?

Tu regere (moneo) imperio populos Romane memento. Certè si maior est dignitas illius, cuius amplior auctoritas, & praestantior virtus est, erit profecto regia dignitas maxima, & eximia: quae non

vnius

vnius modò incolunitatem, sed vniuersam ciuium
 vtilitatem, salutemq̃ue conseruat. Porus Indorum, *povi dictum*
 rex rogatus ab Alexandro quonam illum pacto
 apud se haberet, Regiè respondit: mox etiam roga-
 tus nunquid aliter, Regiè respondit: quod videlicet
 omnia hoc vno verbo continerentur. Nec vlla est
 tanta auctoritas, & potestas, quam regia maie-
 stas sinu suo non complectatur. Neque verò nomen
 Imperatoris sustinet maiorem nomine regio digni-
 tatem. Quid enim aliud est Imperator, quàm belli
 administrator, penes quem est summa in exercitus
 potestas, & imperium? Sed vbi Julius Caesar urbem
 occupauit, & in vnius potestatem omnia redegit,
 qui in illius dominatum successerunt, non se reges
 (quod nomen erat Romanis graue, & ob Tarqui-
 nij superbiam, & crudelitatem odiosum) sed Im-
 peratores dici maluerunt nomine omnibus grato,
 & militum auribus vehementer iucundo: quorum
 virtute imperatoria potestas magna ex parte ful-
 ciebatur. Itaque nomen imperatoris iam inde tan-
 tam retinuit dignitatem: quoniam qui imperatores
 dicebantur, erant domini omnium rerum, & omniũ
 gentium moderatores. Nec mirum videri debet
 Athenienses vulgarem quendam magistratum, &
 exilia munera obeuntem, & qui referre cogebatur
 rationem administratæ rei, designasse nomine regio:
 qui ludibrio nomen regis habebant, quiq̃ue nullo
 modo, non dicam vnius dominatum, sed ne virtu-



tis quidem vllius præstantiam æquo animo ferentes
 libertate, licentiaque viuendi populariter nimis, &
 intemperanter abutebantur. Verumtamen apud a-
 lias gentes, & nationes quanto fuerit in honore, &
 veneratione regium nomen, Indorum præsertim, &
 Persarum cultus, atque obseruantia declarat, quibus
 erat moris non secus, ac diuinum quoddam simula-
 chrum regem venerari: quique felix, & faustum
 hinc omen capiebant, si quando regē videre sibi cō-
 tigisset. Quid memorem Alexandrum magnū, qui
 tantopere nomen hoc tanquam diuinum, & celeste
 affectauit? Quid Demetriū, qui sibi tantū, & An-
 tigono patri nomen regis vsurpabat? Quid alios du-
 ces, & imperatores, qui tantum huius ergo elabora-
 runt? Sed & poëta celebrant Iouem ipsum non alio
 magis nomine, quàm hoc: quoniā rege nihil esse po-
 test inter mortales, immortalesq; præstātius. Acce-
 dit, quòd olim reges non modò remp. gubernabant,
 verum etiam sacris, & cerimonijs præficiantur.
 Ergo etiā reges sacri. Equidem apud Hebræos eodē
 reges, quo sacerdotes, oleo perungi solebant: apud
 alias quoque nationes idem sacrorum, & religionis
 antistites erant tum ob dignitatem, & auctoritatē,
 tum opinor, vt scirent à Dijs ciuitatibus optare, que
 vtilia cognoscerent. Nemo enim communem vtili-
 tatem perspicit melius, quàm qui rem communem
 administrat, Sed, vel quia grauiores, & insolentio-
 res euascent, regno deinde spoliati sunt, & sa-
 cerdotium

persarum in
 reges obseruatiōe

reges sacris et
 carimonijs olim
 præficiantur.

cerdosium, quemadmodum apud Græcos, solum retinuerunt, vel quia vtrumque præstare non poterant, vel quia non decebat sacerdotem inter verbera, & cruciatus rem diuinam facere, alij sunt pontifices à regibus creati: quibus non liceret ullum petere, nec capere magistratum. Et in quibusdam populis sacerdotis honor æque par fuit, ac regis: cuius erat lictores habere, sella curuli vii, & alia regum insignia gestare: apud alias verò nationes inferior.

Sacerdoti honor

Nec indecorum mihi, aut iniustum videtur, illis sacerdotibus reges præire, qui Deorum gentium ministri sunt, quorumque cerimonia, & vota ad huius vite dumtaxat cōmoda, & utilitates spectant: verum nostro Pontifici maximo, gerenti Christi vicem in terris, cuius regale sacerdotium est, cuique pater vniuersarum gentium hereditatem legauit, ac dedit omnium rerum potestatem, vt rex regum, & dominus dominatium iure optimo appelletur, omnes reges, & imperatores merito subiiciuntur. Sed ne longius protracta oratio in rem alienam declinet, reip. formas explicemus, quibus ciuitates perinde consistunt, atque anima corpus, vt illarum optimam regnum esse cognoscamus.

*Christi vicarius
reges subiici.*

De Formis Reip.

CAP. III.

QUANQUAM ab initio solū reges creati
B 4 solitos

incho reges
creari solitis.

solitos fuisse opinor, & principio rerum, gentium, nationumq; imperium penes reges fuisse scribit Iustinus, quoniam (ut Aristoteles sentit) difficile erat plures inueniri, qui virtute præstarent, præsertim cum parua admodum ciuitates tum essent; tamen ubi ciuitates creuere, & pari prudentia, & equitate plures extiterunt, vel ob fastidium, vel ob seuitiam depulsa vnius dominatione ad optimates gubernacula reip. translata sunt. Sed postmodum iisdem magis vtilitati suæ consulētibus, quàm communi, ciuitas totius populi suffragijs administrari coepta est. At verò plebs ubi insolentius, & iniquius sese habuit, ad vnius dominatum resp. venire coacta fuit: ut naturales quodammodo rerump.

reip. tres esse laudabiles formas.

conuersiones esse videantur. Itaque reip. quæ Græci πολιτειαν vocant, & quidam ciuiliū actionum modum quendam, & ordinem esse finiunt ad bene, beateque viuendum, tres sunt laudabiles formæ; Regnum, in quo vnius imperio cuncta rite administrantur, Aristocratia, id est, optimatum principatus, & Democratia populi: totidem vitiosa, Tyrannis, Oligarchia, & (si licet dicere) Laocratia: (quanquam aliqui vitiosam istam reip. formam Democratiam vocant, laudatam verò illam vniuerso nomine remp. Monarchia verò regnum, tyrannidemque complectitur. vtar autem interdum verbis Græcis, cum Latina nō habeā:) Illic vnus, ibi pauci, hic plebs dominatū abutuntur. Atque ut malarum
peffima

pessima tyrannis, sic bonarum optima est regnum.
 Equidem ut difficilius est plures viros bonos reperi-
 riri, quam unum; sic etiam facilius est pluriū mo-
 res, quam vnius corrumpi. Et si vinculum ciuitatis
 est cōcordia, quæ ad vnitatem refertur, ut ad mul-
 titudinem discordia, certè melius animorum con-
 sensum vna vi vnus, quam plures continebunt;
 cum plura ad ipsum vnū reduci necesse sit. Intuere
 mundum hunc vniuersum, ut ab vno principe Deo
 regatur. Inspice naturam hominis, quem mundo si-
 millimum volunt, quemadmodum in eo tanquam
 regina vna ratio, intelligentiaque dominetur. Cerne
 bruta animantia, si qua est in his politie similitudo,
 videbis hanc vnã reip. formam ab illis retineri.
 Animaduerte reliqua nature opera, videbis omnia
 summa consensione constricta ab vno dependere.
 Quod si perfectiora sunt ea, quæ naturam imitatur,
 profecto regnum prastantissimum erit. Docent nos
 hoc ipsum regiones; quæ cum ab vno aliquo regun-
 tur, in tranquilla pace, & otio persistunt. Declarat
 angusta illa Cesaris Octauiani tempora, qui omnes
 gentes Ro. Imperio subiecit, & communi inter se
 pace coniunxit, cum Dei filius Dominus noster Iesus
 Christus in hanc vitam, & lucem venit. Atque v-
 tinam quoque nunc vnus omnia teneret: non sanè
 tot morum dissimilitudines, ac religionum varietate
 cernerentur, neque tot bella, tot scelera, tot cedes,
 tot fortunarum, viteque discrimina quotidie time-

temp. ab uno
 melius gerber
 nari

remus. Cum verò ciuitates in plurium ditione, ac potestate sunt, ob principum libidines inter se discrepantes grauissimis contentionibus exagitantur: ut illud prophetae rectè hic dicatur, Pastores multi demolui sunt vineam meam. Quid non ipse Deus immortalis populo suo caput vnum pollicetur, & principem vnum, qui regnet in medio eius, & sapiens sit? An Christianorum spiritalis politia non etiam vnus Iesus Christi virtute, & consiliorum felicitate conseruetur? Hec forma ciuitatis, in qua vnus praeest reip. meritò paterna dicitur. nam ut in vna domo vnus est, qui familiam gubernat pater, sic in rep. vnus est princeps, qui ciuium perinde ac filiorum vtilitatibus prospicit. Atque ut in vna domo quàm minimè expedit esse plures patres familias, sic plurium auctoritate reip. geri neque vtile est, neque tutum. Cuius rei nò ignarus Lycurgus, rogante uescio quo, ut democratiam Spartae componeret, respondit, ut illans domi suae prius institueret. Non tamen inficias iuerim, democratiam esse ob libertatem, & equalitatē vitæ iucundissimam; ut contra tyrannorum fastidiosum regnum effecit: sed multa secum adferi discrimina, multorumque vitijs, & improbitate corruptum imperumpitur. Nam vbi resp. multis committitur, neque vnum principibus. semper iisdem magistratus commendantur, ibi cura de reip. salute in singulis minor est, dum alterius industria confidit, vel alterius turpitudinem, & infamiam amant: tum diminuta auctoritate grande aliquod

Lycurgi dicti

multorum imperumpitur.
vnum principibus.

aliquod facinus, & præclarum facere non possunt: & reip. studium remittentes minus experti sunt usu rerum brevissimo. Accedit, quòd mercede conducti reimp. quæstui habent: mox quia se deponendos intelligunt, mitius agunt, & negligentius rem gerunt; & confidentius peccant, qui subsunt, quoniam præsentium auctoritatem minus eximescunt. Cumque minor sit in his, qui præsent, communis utilitatis, & æquitatis cura, populi mores, & vitia minore diligentia corriguntur. Et ad populi gratiam reimp. administrare, quid aliud est, quàm laxare cupiditatum habenas, unde civitatis status evertatur? Testis est Tribunitia potestas Romanorũ, quæ sola reip. perniciem, & interitum attulisse videtur. Ad hæc (quod quidẽ iniquius est) Democratia omnem virtutis exuperantiam odio habens, veluti graues, & molestos persequitur, quos aliquo virtutis genere videt excellere; atque omnes, quasi supereminentes spicas demetendo, vt Periander, segetem adequat. Testis est Ostracismus Atheniensium, quo Aristides, Phocion, Miltiades, Themistocles, & optimi quique pulsi fuerunt: quoniam præ cæteris vel iusti, vel sancti, vel prudẽtes, & fortes viderẽtur. Quãobrem in multitudine leuitas, in principibus ambitio, ubique temeritas, et insolentia, nullũ in hoc statu rerũ æquitati, et virtuti locũ relinquunt. Atque vt in his, quæ inter se opponuntur, & cõtrario modo se habent, alterius extremũ fit alterius principium,

piū, quod in permutationibus temporum videmus,
 sic viuendi summa licentia in miserrimā seruitutem
 conuertitur. Nec minus obest reip. popularis seditio,
 quā nocet vnius tyrannis. qui licet acerbus, &
 iniquus sit multis, minimè tamen vniuersam temp.
 perturbat: ni forte adeò asper, & immanis existat,
 vt omnem conuictum hominum, & societatem
 oderit. Sed pluribus dominari cupientibus discor-
 diae plures oriuntur, contrarijs ob principum dissen-
 siones multitudinis inter se studijs, & volūtatibus.
 quae ciuitatis concordiam ita labefactant, vt ad v-
 num aliquando, eumque crudelissimum tyrannum
 potestatem omnem reuocari necesse sit. Exemplo
 est resp. Ro. quae dissidentibus inter se ciuibus tan-
 dem in vnius dominatum peruenit: vt sapiēter tum
 à Bibulo consultum sit, idem assentiente Catone, ad
 vnius imperium confugi oportere; verū esse qua-
 rendū, qui illo moderatius vteretur. Intelligiturque
 ex his verum esse in ciuilibus coniurationibus, quod
 Plato scripsit, Tutas fore ciuitates, si in vno pote-
 stas ingens, & auctoritas cum prudentia, & equi-
 tate coniūgatur. Ac prudenter Romani in periculis
 Dictatorem faciebant, qui vnus omnia moderare-
 tur, non ignorantes quantum in hoc statu rerum, &
 conditione temporum vtile esset, ac propè necessariū
 temp. vnius consilijs, & auctoritate administrari.
 Nam in dicendis sententijs, mutuisque contentioni-
 bus quantum temporis consumitur, id si vnius vir-
 tuti,

enti, & prudentia detur, cui nec consulendi tempus
 præscriptum sit, nec definita auctoritas, sed qui om-
 nium rerum conscius, & moderator, ac ubiq; præ-
 sens nullam bene gerendæ rei occasionem præter-
 mittat, quis non videt hunc longè melius, & cele-
 rius cuncta peracturum? Hoc idem ad res bellicas
 solerter, & feliciter administrandum quantum va-
 leat, declarant Persarum præcipuè, atque illorum
 imperia, quæ vnus virtute latissimè dilatata fue-
 runt: tum Atheniensium bella, quæ multorum im-
 perijs gesta infeliciter fere semper illis successere.
 Quin etiam apud Lacedæmonios, quorum ciuitatem
 pauci gubernabant, tamè rex vnus in exercitu sum-
 mum imperium tenebat. quanquam apud eos pri-
 mum idem rex erat bellicarum, & ciuiliū rerum
 administrator. qui cum externis bellis plurimum oc-
 cuparetur, (quemadmodum apud Plutarchū Cleo-
 menes disputat) seniores quidam electi sunt, appella- Ephori.
 tiq; Ephori, quos Theopompus dicitur adoptasse,
 qui domi remp. consilijs adiuuarent. Hi paulatim
 reip. administrationem sibi vendicantes solum bella
 regibus reliquerunt: qui regium nomen etiam dum
 in exercitu retinuerunt. At non potest vnus tot, tan-
 tisq; rebus per se ipse prospicere: sed potest alio-
 rum opera, & studio non secus ac Deus Angelorū
 ministerijs, & aliarum causarum officijs vri. At
 vbi vnus auctoritate omnia sunt, minus vtilitati
 communi seruitur, sed in illius, qui præest, vtilitatē
 cuncta

cuncta referuntur. Hoc de eo dices, qui civium cō-
 moda diuellit, & libidine magis ducitur, quàm æ-
 quitate: verum ubi rex ad vilitatē civium omnia
 traducit, ibi ciues non minus rem communem curāt,
 quàm propriam. At cum Samuele Deus loquens
 (ut est in libris Regum) quā ob rem dices; populo
 suo grauius adeò succenset, quòd regem postularet?
 Non certè quòd regnum damnet, quod in Deutero-
 nomio probat, quod fundauit in sua cælesti politia,
 sed ut populo insolentiam animi, & arrogantiam
 exprobrat: qui magis fastum quendā, & ornatum,
 quàm vnius dominatum petebat: quem à Mose iam
 illi olim instituerat. An non grauius tibi videtur
 multorum voluntatibus parere, quàm vnius? et fa-
 cilis cupiditates vnius, quàm multorum explere?
 Quorum tyrannidis conditio vel hoc certè grauior
 est, quo diuturnior. Nam extingui nisi cum multo-
 rum interitu non potest. Quid, quod nulla est resp.
 que non regni formā pr. se ferat? cum velut vnius
 auctoritatem obtineat? Cumque multa sint in vna
 quaque rep. metuenda, multa etiā optanda; ea mihi
 potior videtur, que diutius conseruatur. Firmiora
 verò, et diuturniora regna videmus, quàm ceteras
 reip. formas. Quòd si poëtarum quicquā valet au-
 thoritas, quos Plato duces sapientiæ appellat (ne lō-
 gior hac in re sim, de qua tot sapientissimi viri co-
 piosissimè, & ornatissimè disseruerunt) rerum pu-
 blicarum optima regnum profectò est; quod illi ab
 heroibus

deus cur populo
 suo grauius succenset
 fuerit q. regem
 postularet.

Heroibus, & Dijs coli affirmant: quippe quos regem habere profitentur. Quapropter Homerus *Homeri sententia*:
 Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίην, εἰς κοίρανος ἕστω, εἰς ἡ δὲ regum.
 βασιλεύς.

Quod omnis potestas à Deo est.

CAP. IIII.

UT CVNQUE tamen res humana gubernentur, confitendum est, quod Apostolus ad Romanos scribit, Omnem potestatem à Deo esse, & ordinationi diuina eum resistere, qui potestati resistit. Nā procreator ille mundi Deus, qui omnia numero, pōdere, & mensura effecit, vniuersa rectè, atque ordine disposuit: qui si modo aliquo perturbaretur, quicquid rerum est in vniuersitate mūdi, totum hoc omne corrueret. Est autem ordo rerum dissimilius accommodatis inter se locis compositio: quæ res inæquales æqua proportione coniungens pulchritudinē creat diuina sapientiæ maximè conuenientē. Atqui in his, quæ aliquo ex ordine collocata sunt, summa, ima, & media cernuntur, atq; alia alijs innixa, et tãquam annulis quibusdã inter se connexa, & apta consistunt. Neq; solū hoc cernimus in his, quæ sensu percipiuntur; verùm etiã in his, quæ intelligentia, & mente cōplectimur. Etenim summū illud, et extimū celū, arcens, et continens ceteros, omniaq; suo ambitu comprehendēs, perpetua reuolutione vniuersa

uersa conseruat. infima uerò terra in medio mundi
 loco, & centro infixæ calorū sustinet motum. Et in
 Angelorum quoque choris sua quibusque munera
 distributa sunt: quibus superiores inferioribus diuinæ
 prouidentie commissa enunciant, illosq; celesti splen-
 dore illustrant, quo ipsi à Deo illuminantur. Nec du-
 bium est, quin, etiam si Adam præceptis Dei stetit,
 inter homines aliquis (ut D. Augustinus sentit)
 exiitisset principatus; non qui grauem seruitutē at-
 tulisset, quam deinde scelus primi parentis adduxit,
 sed qui naturæ conueniens esset: quo uidelicet huma-
 næ societatis coniunctio, & rerum ordo, ac vicissi-
 tudo conseruaretur. Et regnum ego tum illud fuisse
 arbitror, quoniam præstantissimum est, non Aristo-
 cratiam, ut quidam opinantur: cum etiam regni for-
 mam inter Christi cultores à spiritu sancto constitu-
 tam uideamus. Cæterum (ut naturales philosophi
 docent) quoniam omnia quæ sunt, & mouentur, uel
 corporeis illa sensibus subijciuntur, uel sub intelligē-
 tiam modò cadant, ad uniuersalem unam efficien-
 tem, & mouentem causam referri debent; ne si non
 detur extremum aliquod per se stans, & immobile,
 dans tamen (ut Boëtius loquitur) cuncta moueri, &
 à nullo creatum, creans tamen ipsum uniuersa, in in-
 finitum procedatur; Deus, quem per ea, quæ facta
 sunt, uel illi ipsi philosophi nullo Christiane fidei lu-
 mine illustrati, solum vi mentis, & solertia, causarū
 causam, & mouentium motorem cognouerunt, ipse
 est

Omnia que mo-
 uentur ad uni-
 uersalem causam
 referri oportere.

est auctor, moderator, & conseruator omnium rerum; qui portat omnia (vt in sanctorum librorum paginis scriptum est) verbo virtutis sue, quiq̄ue altissimus est creator, omnipotens, rex potens, metuendus nimis, sedens super thronum dominans Deus.

Quòd si rerum auctor, & causa Deus est: & virtutes rerum è diuino illo fonte emanant, atque vt numeri principium est vnitas, quæ dicitur à Grecis *μόνας*, sic dominantium dominus est Deus: qui potestatem, & virtutem imperandi alijs tradit, ipse verè *μόνας* (sicut Pythagorei docent) ad quam omnis veluti caput & originem multitudo reducitur. Sed de potestate numinis diuini loquentes vnde nam melius, quàm è diuinis libris fidem, & auctoritatem petemus? Nota sunt verba, quibus ad interrogationem Pilati Christus respondit: Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datus esset de super. Et in sacris Prouerbijs legimus, Meū est consiliū, & æquitas: per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & potestates decernunt iustitiam. Quid Samuel, dum à populo minus audiretur, non hoc diuinum responsum accepit, Deum, non se contemni? quippe cuius ministri sunt ij, qui imperiū in alios tenent: quibusq̄ue Iupiter (vt canit Homerus) dedit

Σκῆπτρόν τ' ἠδὲ Φέμισαε, ἵνα σφίσι βασιλεύῃ.

Quamobrem qui principibus obtemperant, parent diuina legi; contra, qui repugnant, ordinationi diuinæ

resistunt. Ni fortasse existimes diuinam providentiam humana non curare. Servat in his rebus, quas hominis gratia generavit, immutabilem ordinem; et societatem hominum, quos sibi similes, & sui gratia generavit, non tuebitur? Est sanè Deus in hoc mūdo, velut Imperator in exercitu, qui alios quidem centuriones, et præfectos instituit, sed vniuersitatis corpus totum ipse regit, & vniuersali, ac æterna mente gubernat. Atque ut homines in potestate regum, sic reges in potestate sunt Dei. Proinde Horatius,

*Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.*

Hoc idem arguit naturalis quidam insitus pudor, & erga principes reuerentia: ut statim illos obseruemus, quos superiores agnoscimus, tanquam è caeli demissos, aut diuina aliqua auctoritate confirmatos. Nihil autem natura in hominum animis frustra, & vanum ingenuit. Nec verò credendum est, tyrannis dominatum inuito Deo contingere, quos in sceleratorum hominum animaduersionem, & vindictam ipse destinauit. Regnare (inquit Iob) facit hominem hypocritam propter peccata populi. & in Osea scriptum est, Dabo tibi regē in furore meo. & in Isaia, Assur virga furoris mei, & baculus ipse est: ad gentem fallacem mittam eum: ut tyrannorum scuitia non tam ipsorum iniquitati sepe, quam populi moribus attribuenda sit sepius: quibus Deus æquissimus Imperator cōuenientem principem

Non esse credendum
tyrannis dominatum
inuito Deo contingere.

cipem legat. Nec sanè aliter tyranni diuina iustitia
 ministri, & (si fas est dicere) carnifices, & tor-
 tores habendi sunt, quàm mali demones: quorum
 potestatem sacri Doctores iustam esse confirmant,
 sed iniquam voluntatem. Sic Totila Gothorum rex
 inmanissimus flagellum Dei seipsum vocabat: &
 Tamborlanus ille, qui maiorum nostrorum memo-
 ria fuit, rogatus cur tantam crudelitatem in eos, quos
 deuicisset, exerceret: an ignoratis, respondit, me ho-
 minem non esse, sed iram Dei? Neque etiam malis,
 improbisque principibus obedire Christianis præce-
 ptum esset, si non diuina auctoritate regnarent. Tum quando non sit
 verò parendum non est, cum illorum mandata di- parenda regibus.
 uina legi aduersantur: quæ omni humana institutione
 potior esse debet. Quod si tyrannidis iugum aliter à
 populi ceruice depelli non potest, ad diuina summi
 illius rectoris vota confugiendum est: in cuius manu
 est cor regis, & illud, quando vult, immutat. Neque
 ulli dubium esse debet, quin si expediat, vel tyran-
 num è medio tollat, vel illius furorem, audaciamque
 refrenet is, qui populum Israel è manibus Pharaonis
 eripuit, & Assueri crudelitatem mitigauit, &
 superbiam Nebuchodonosoris repressit.

De officio Regis.

CAP. V.

SED qui Dei minister est in principatu, eius
 munificentiam, & bonitatem in administratione

rerum studiose, & diligenter emuletur non ad libidinem, & auaritiam potestatem transmittendo, sed ad iustitiam, & equitatem: quæ nos efficit Deo longe similiores, quàm dominatus. Terræmotus, & fulmina, fluviorum quoque rapidi cursus, ventorumque procellæ quàm vim habent? quòue impetu prædita sunt? ut grauius nos illa perterrent? tamen, quia sunt virtutis expertia, diuina non dicimus. Profecto nulla re propius ad Deum homines accedunt, quàm aliorum utilitatem, salutemque tuendo. Cuius vim, & naturam etsi nullum est nomen, quod exprimat, (neque enim nomen aliud est, quàm rei nota: Deus autem, qui æterna, & infinita mens est, nullumque habens extremum, libera, & ab omni concretionē soluta, nullo vocabulo comprehendere potest) tamen ex multis eius operibus, quæ Deorum nominibus gentes notauerunt, diuersa nomina apud nos deducta sunt. Verbi causa, Principium dicitur, quia procreator est omnium rerum; Finis, quoniam ad illud reducuntur: Rex verò, quia moderatur, & regit vniuersa. Veruntamen nullum Dei nomen, eque prædicatur, ac Boni: quòd nimirum sit auctor, datorque bonorum: non quia bonitatis nomē diuinam eius (ut ita dicam) essentiam complectatur, sed quia bona sit his, qui illa vtuntur. Vnde propter ingentia beneficia Deum à munificentia optimum appellamus. Quamobrem potentia virtutem comitem, & adiutricem nacta celestem vim, & naturam assequitur: expertis
veri

Deum nullo
vocabulo expre-
hendi posse.

verò virtutis belluinam quandam, & agrestem feritatem imitatur. Hac eo pluribus explicata sunt, ut quid facere debere, inde melius intelligeres. Est quidem (ut mihi videtur) officium regis, qui non dominus, sed administrator est reip. salutem civium, & felicitatem tueri: quæ sita est in usu virtutis, & in rerum vitæ necessariorum opportunitate, & copia. Neque aliam ob causam in unum homines ex agresti vita congregati videntur, quàm ut equo iure videntes bene, beateque viverent. Viuitur autem à virtute, cum vitæ ratio communi quada. honestate, et iustitia conformatur. Quæ verò Ciuitas à virtutis moderatione, tanquam de recta via declinat, in prauos mores, vitiaque prolabitur, & iustitiam è communi vitæ tollit, quæ firmamentum est societatis humane? Vnde hoc vrbium conditores, hoc Platonis argumentum in libris de rep. hoc Diogenis, & Zenonis, hoc postremò eorum fuit, qui de his rebus sapienter quid conscripserunt: ut nimirum ad honestatem, & iustitiam, civilem vitam instituerent. Quæ è virtute felicitas, si non mutua charitate, & benevolentia ciuitas cõtineretur? omnino nullæ esset. Tacò regi nihil esse debet antiquius, quàm inter ciues animorum conspirationem conflare, concordiam alere, & tanta voluntate, & studiorum cõsensione illos inter se deuincire, ut reip. forma ex partibus ciuitatis inter se rite commissis pulchra, & virilis cõsurgat; & quasi concentus quidam oriatur ex dissi-

officium regis

milium actionum, sed inter se virtute cōuenientium
 equabili conspiratione animo incundus, atq; suavis.
 Quis præclarum illud opus Numæ non admiretur,
 qui ut discordiarum semina extirparet, sustulit ex
 urbe, ne alij Sabini, alij Tati, alij Romuli diceren-
 tur? Et Solonis illa incredibilis, & ad eò laudata
 lex est, que magistratibus cum abdicat, & honori-
 bus priuat, qui in seditione alterutrius partis non ef-
 fet: utpote quem nulla de reip. salute cura videre-
 tur attingere. Quod propter idem rogatus, quam ci-
 uitatem optimam esse iudicaret: in qua, respondit,
 nulla iniuria affecti, non minus quàm affecti, eos vl-
 ciscuntur, qui intulerunt. Assuefaciebat vir sapiens
 ciues, tanquam vnius corporis membra, incommoda
 æquè omnia sentire, & aduersis rebus pariter ang-
 Et Lycurgus quamnam aliam ob causam in hoc po-
 tissimè elaborauit, ut omnes Sparte equalitatè ser-
 uarent, quam in rep. sua Plato mirum in modum cō-
 mendauit; nisi ut ciuilem concordiam animorum con-
 spiratione fouerent? Hic sapienter Plato regem mo-
 net, ut dum partem aliquam tuetur, al. non dese-
 rat; sed Deum optimum imitetur, qui similiter om-
 nibus exorandum se præbet. Nec, qui p. uribus impe-
 rat nationibus, hanc amplectetur. illam contemnet;
 ne beneuolentiam vnius, & amorem in se concitādo
 exuscitet aliarum odia: quibus non ut patrem, sed ut
 vitricum iniquum se gerat. At qui regem Hispania-
 rum Geryonē accepimus à poetis multa capita, ma-
 nus,

Numæ opus
 præclarum.

Solonis rursus
 sum.

Geryon cur multa
 capita habuisse
 dicatur.

nus, crura, et pedes vno, eodēq; animo, hoc est, multos populos pari beneuolentia rexisse. Illa sunt etiam præter vsum virtutis ad vitæ commoditatem, et incunditatem ciuitatibus optanda, vbertas agrorum, et hominum, aëris, vrbisq; salubritas, copia rerum necessariarum, & affluentia, otium, atq; securitas. Vrbis verò adificia descriptione, & pulchritudine nobilia sunt: quæ regiam magnificentiam declarent, nec sumptibus ciuitatem exhauriant. Intelligat autem legitimi regis officium esse, ciuitatem iuxta ac propriam familiam paterna charitate complecti, & ciues, perinde ac filios, colere, & honorare, aduersisq; eorum rebus dolere, gaudereq; secundis. Hoc est gerere personam patris; hoc est de rep. benè mereri. Hos Romani, patres patriæ appellarunt: Huiusq; rei gratia Cyrus à Persis appellatus est pater. Nec malè duces suos Homerus, & Homerum sequutus Plato reges pastorum nomine appellat: vt etiam olim Dij pastores fuisse perhibentur. Et Moses quoque, & Iacob, & Saul, & David pastores extiterunt: & ipsemet Christus suo se ore pastorem vocat oues suas cognoscenē, & illis notum. Nam vt pastoris, sic etiam regis munus est gregem pascere, non vorare, & totius ciuitatis vtilitati, & dignitati magis, quàm suæ volūtatī, cōmodisq; consilere. quāquam vtilitas ciuiū, et cōmoda sua sunt, non secus atq; felicitas pecorum pastorum opes, & filiorum probitas, & salus, patris est ornamentum, & gaudium.

Videturque sapientibus hominibus reip. procuratio-
nem tanquam tutelam non tutorum, aut civitatem
administrantium, sed eorum, qui commissi sunt, uti-
litate gerendam esse. Quanta verò illi cura incumbat, quem unum ~~pro~~ tot hominibus vigilare necesse
est, explicat bellè Seneca ad Polybium scribens de
Cesare, Omnium domos illius vigilia defendit, om-
nium otium illius labor, omnium delicias illius in-
dustria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo
Cesar orbi terrarum se dedicavit, sibi eripuit, & si-
derum, modò, quæ irrequieta semper cursus suos ex-
plicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quicquã
suum facere. Quocirca Plato, regnum affirmat esse
rem diuinam, quòd utilitatem communem, & salu-
tem tueatur. Atque ut res omnes Deum expetunt,
utpote summum bonum: sic Regis virtute omnes
fruentur: qui non sui gratia facit, sed civium utilita-
te, quæ facit. Præsens est omnibus, & in omnes be-
neuolus, & propensus, in necessitatibus pater fami-
lias, in dubijs rebus consul, in aduersis Imperator, ci-
uium similtates, & dissensiones componit, egenti-
bus subuenit, diffidentes confirmat, afflictos erigit,
perditos recreat, abiectos excitat, percussos consolatur:
ut in vna regis equitate, & prudentia totius
civitatis salus, & felicitas posita sit. At verò illum
debet laborum suorum fructum aliquem percipere,
quo vitam hanc degat. Nemo enim (inquit Aposto-
lus) militat suis stipendijs. Ideoq; tributa præstamus,

ministri

Quanta cura
incurbat regi.

ministri enim Dei sunt in hoc ipsi seruietes. Et Christi-
 stus à Phariseis rogatus an liceret tributū dari Cæ-
 sari, ubi numismatis imaginē, & idolū Cæsaris vi-
 dit, Reddite, inquit. quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Sed ea
 dumtaxat ratione vectigalia debet exigere, ut se,
 suosque conseruet pro rerum necessitate, & opibus
 subditorum; non quæ ad ludos, & scenas, ad specta-
 cula, & pompas, ad commestationem, et crapulam,
 ad corporis lenocinia, & voluptates profundat; sed
 quibus collapsa instauret, instaurata muniat, munita
 exornet. Hoc autem conditio rerum, & temporum
 natura secum affert, ut si grauior quedam necessi-
 tas obueniat aliquando, veluti si bellum gerendum
 sit, cuius (ut scitè Lacedæmonius quidam dixit) non
 est dimensum pabulum, & rerum agendarum nerui
 pecunie sunt, tributa tum imponantur pro salute cō-
 muni maiora: nec grauiora tamen imponenda, quæ
 ferri non possint; sed quæ ipsi met ciues apertè intel-
 ligant in communem vtilitatem omnino esse conse-
 renda, necessitatiq̄ue parēdum. Romæ Liuius consule
 attritis secundo bello Punico reip. viribus, exha-
 stoque ærario, cū vllum tributum populus ferre
 amplius non posset, proposito vr̄bis periculo tantam
 auri vim, & argenti tota ciuitas sponte, vnoque ani-
 mo in medium contulit, quantam nouis tributis, &
 vectigalibus nunquam omnino coëgissent. Et Anto-
 ninus Cæsar nunquam tributum vllum exigere absque
 Senatus, populique Ro. consensu, nec absque eorum

vectigalia cui
 usum rex debet
 exigere.

*auctoritate insumi voluit. Ac saepe quidem multae
 seditiones, & tumultus in ciuitatibus orti sunt ob
 noua tributa, & vectigalia: vnde resp. miserabili-
 ter afflictatae fuerunt. Ergo moderatus in exigendis
 pecunijs, prouidens rex erit in conseruandis ad om-
 nem vicissitudinem, & casum fortuna. O sanctam
 Tiberij Caesaris ad praesides suos epistolam! quibus
 suadetibus, onerandas tributo prouincias, rescripsit,
 Boni pastoris esse pecus tondere, non deglubere: &
 comoda ciuium defendere, non conuellere, boni prin-
 cipis est.*

*Tiberij Caesaris
 ygelora epist
 ala.*

De Tranquillitate Regni.

CAP. VI.

QUOD si regnum ita administretur, non coa-
 Eli per vim ciues, vt serui; sed sua sponte, & vo-
 luntate, vt liberi, tum regibus tanquam parentibus,
 & pastoribus obtemperabunt. Nec minus opera;
 ac diligentia in communi utilitate, & felicitate au-
 genda, & conseruanda vno animo, & conspiratio-
 ne ponent, quam solertia apes ad fingendos fauos so-
 lent in commune conferre. Sin vero rex praesse tan-
 tum studet, non etiam prodesse; nec pro ratione, sed
 pro libidine se gerit; aut si contra, ciues potentiam
 regis egrè ferentes illius conatibus resistunt, tum è
 dissensionibus intestinis maximum totius reip. nau-
 fragium fiet. Siquidem omne regnum (vt Christi
 verbis

verbis utar, & testimonio) in se diuisum desola-
 tur. Nam ut corporis membra vigent ob eam, quam
 seruant cōuenientiam, sic inter ciues, & regem cha-
 ritate sublata reip. status labefactatur: qui alioquin
 moderatus, & concors bonam ciuitatis habitudi-
 nem, & perfectam sanitatem retinet. Neque est
 quod ciues contra regem coniurent, velut olim mē-
 bra contra ventrem conspirarunt; quod labores ipsa
 perferrent, his ille cupiditates suas expleret. Ut e-
 nim venter cibum capit, & coquit, atque inde alijs
 modificatum diuidit, & commendat; sic rex om-
 nium viribus, & fortunis adiutus, ipse prudentia, et
 equitate omnibus prodest. Cum ergo in animorum
consensu, in concordia, & beneuolentia tranquilli-
tas urbis, & felicitas fundata sit; huc omnem co-
 gitationem, & studium intendere debet; ut ciues
 informati moribus bonis, legibus, & ordinibus in-
 perpetua pace sint. Nam tamdiu pax inter ciues
 vigebit, quamdiu leges, & prudentissimorum
 hominum instituta seruabuntur, singulis officium
 suum facientibus, & premijs, supplicijsque pro
 meritis cuiusque propositis. quibus maxime rebus
Solon contineri remp. putauit. Quae tranquillitas
 ciuitatis ut externo bello turbatur, sic intesti-
 no corrumpitur. Oritur autem seditio, quae do-
mesticum bellum est, aut ex illatis à potentio-
ribus iniurijs, aut ex iniqua magistratum, &
honorum distributione, aut ex inopia rerum ad-
 viuendum

tranquillitas
 nobis in ciuibus
 concordia fun-
 data.

de urbe sediti-
 nis.

viuendum necessariorum. Sedatur verò auctoritate, ut Agrippa dissidentem à senatu populum Ro. in urbem & concordiam reduxit; aut vi, pœnis, legibusque comprimitur, ut scelerata illa Catilina cõiuratio extincta est. Clementiæ verò tum esse locum decet, cum iustam aliquam ob causam populorum animi vehementius commoti esse videntur. Quantiæ autem prudentiæ, & ciuilibus disciplina sit intercludere contentionum vias, & seditionum radices extirpare, quæ occulte primò, latius deinde propagantur, quis non videt? Equidem ipse præstantissimum opus regis hoc esse existimo; quoniam omnium malorum grauisimum est seditio, serpens, et latens pestis: quæ in mentibus ciuium insidens concordēs animos dissipat, & omnem vitæ communitatem, & societatem penitus delet. Igitur æquitas Regis, & prudentia, tum consentiens vbique rerum status, & tranquilla pax celestem quandam potentiam, & felicitatem assequuntur.

*Contentionum
vias interclu-
dere magis
prudētis spē.*

De Tyranno, & Tyrannide.

CAP. VII.

EX regni forma expressam quoque tyrannidis imaginem tenemus. Nam eorum, quæ tanquam è regione contraria inter se opponuntur, alterum ex alterius natura cognoscitur. Vt enim rex communem vtilitatem, & felicitatem tuetur, & reip. salutem suis commodis, & rationibus anteposit; sic tyrannus

non eorum, qui subsunt, commodis, & utilitatibus
 consulit, sed dominationem ad fructum suum, et cu-
 piditatem transfert. hic gregem pascit, ille vorat.
 huic vitæ modus est ratio, illi libido. hic parat, ille
 imperat legibus. hic æquus est, ille iniquus. Et hone-
 stas quidem regnum commendat, cui coniuncta est
 utilitas, tyrannus verò turpis, & exitiosa est. Hoc
 virtuti confertur, & virtute conseruatur; illa vel
 per vim occupatur, aut vi retinetur. hoc beneuolen-
 tia ob mansuetudinem tutissimo, firmissimoque pre-
 sidio fouetur; illa timore ob crudelitatem satis infido
 satellite custoditur: quæ imperiosam nimis, & in-
 temperantem: seruans acerbiter simultatis, et o-
 diorum est plena, & multis obiecta periculis, infini-
 tis propè suspicionibus quassatur. Quænam, obsecro,
 fuit Aristippi vita, quem etiam parietes suspitione
 periculi territabant? Quæ Alexandri Pherei, cui vel
 ipsamet vxor suspecta erat? Quæ Dionysij? qui ne
 capillum quidem tonsoribus tondendum committe-
 bat: Ita omnia tyrannis suspecta semper sunt, atque
 sollicita, vt illud verè dictum sit, Metum alere ty-
 rannidem. Nam qui metui se volunt, necesse est vt
 eosdem ipsi metuant, à quibus metuuntur. Quam
 vitam sollicitudinis, & timoris plenam Dionysius
 significauit fulgente gladio è lacunari seta equina ap-
 penso, ac in magno apparatu Democlis ceruicibus
 impendete, qui tyranni vitam felicem esse prædica-
 bat. Hinc Horatius

tyrannorum vi-
 ta frigidior

Districtus ensis cui super impia

{ Ceruice pendet, non Sicule dapes
 { Dulcem elaborarunt saporem,
 { Non auium, citharaeque cantus

Somnum reducent.

Sed (vt scribit

Iob) sonitus terroris semper in auribus eius: & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Et nulli fidem habentes tyranni, tanquam pauentes, & timidae belluae, nullius manibus tractantur, nec mansuescunt vnquam. Quocirca neminem diligunt. qui erim possunt diligere, qui omnem communionem vitant, aut metuant etiam, quos amant? quia licet oderint tyrannum omnes, nocere tamen non potest nisi amicus. Tum ab eorum consuetudine abhorrent, qui & honesta prudenter consulant, & recta liberè monent: ne aut moniti rationem ducem, & honestatem sequantur; aut illorum virtute magis sua patefiat improbitas; aut quia illorum bonitatem suspectam habent, quòd populo ea, quae voluerint, opinione virtutis facile persuaserint. Hac fortassis de causa Nero Senecam sustulit, & fuit Dionysius contra Platonem acerbior. Sed qui potest vir improbus probum diligere? & quae morum dissimilitudo vllorum animos vnquam inter se coniugauit? Ita qui se solos liberos, & honestos putant; ambitiosos acquirunt adulators, quorum suasionem, & ductu omnibus vitijs implicati, in optimos viros existunt iniquiores. Sed

tyrannu nq;
 diligere qui que
 omq; diligi a
 quinquam.

&

Et pulchrè dictum est à Solone, Tyrannidem locum esse amœnum; verùm exitum non habere. quæ labyrinthi more tyrannos in mille rerum circuitus, & errores inducit. Cuius fructus hi sunt, qui ex fiduciâ, hoc est, vehemente sui amore, & suspitione producuntur, opum direptiones, & rapina, ciuium oppressa libertas, grauis seruitus ciuitatum, legum perturbatio, & rerum omnium immutatio, vel (ut verius dicam) euersio, vxorum, & liberorum supra, suorum impunita scelera, aliorum exilia, & cædes. In uniuersum, tyranni sapientes homines abigunt, quippe qui sciant, & machinari multa possint, ciuium concordiam metuant, quasi in suum caput semper coniuantium, potentiores oderunt, aut suis conatibus aduersantes, aut dominationem fugientes, & multitudine tributorum, ac morum asperitate populum in timore & obedientia continent. Vnde vrbes intueri licet terrore concussas, squalore abiectas, omni ciuium nobilitate viduatas: quarum filij ex paterna virtute iam in seruilem naturam metu degenerauerunt. Quos autem alios fructus intemperantia liberam potestatem nacta potest afferre? Meritoque tyrannos crudeles, & immanes belluas, humanique generis pestem, & facces, doctissimi viri vocauerunt: quales Caligulam, Neronem, Domitianum, & plerosque alios diu Roma sustinuit. In quorum humana figura tanta

inest

inest feritas, & immanitas, vt rectè Salomon; Leo
rugiēs, & vrsus esuriens princeps impius super po-
pulum pauperem. Sunt tamen, qui regiam dignitatē
 simulatione virtutis vmbrire conantur. Nam fictè
 religionem colunt, vt opinionem probitatis afferen-
 tes à populo reuerentiam captent; frugalitatē amāt,
 luxum aspernantur, & quandam vite moderatio-
 nem seruant, non tam ipsa delectati honestate, quàm
 auaritiæ studio, & sui conseruandi cura. Præterea
 diligenter cauent, ne iniuriæ fiant, ne contumeliæ in-
 ferantur, ne iura violentur, ac cuiusque rei culpam
 etiam grauius plectunt non tam æquitatis, & iusti-
 tiæ causa, quàm opprimendæ ciuium libertatis, &
 audaciæ: ne dicam quod hac via quasi iussu legum
 in aliorum fortunas inuadunt. Adhæc vectigalia,
 & tributa imponendo magnam conseruandæ reip.
 curam, & diligentiam præ se ferre nituntur. Sed cum
 ita grauiæ exigantur, vt tolerari nullo modo possint,
 apertè virtutis illa simulatio proditur. Et seruare
 summum ius, nihil ex æquitate, nihil ex clementiâ
 agere, quid aliud est, quàm iniquitatem, & tyranni-
 dis acerbicatem retinere? Illud quoque non paruū
 est a simulatæ virtutis indicium; quod, habentes su-
 spectam cuiusque gloriam, nullius virtutem extol-
 lunt. Et ciuium opes exhaurire, vires enervare, con-
 spirationem metuer, assiduis laboribus illos fatiga-
 re, & peregrinis magis fidere, quàm suis, non sunt
 isthæc tyrannidis signa? Nec aliud certè maius est

tyrannis simu-
 latione virtutis
 testis.

argumentum querendum, quàm si per vim regant. In quos illud per prophetam à Deo dictum est: Veh-
 vobis pastoribus, qui pascebatis vosmetipsos; gregē
 autem meum non pascebatis. Qui licet divina ira mi-
 nistri sint; tamen aliquando Deus populi sui misertus
 capita superborum confringet. Nec fieri potest, ut is
diu seruetur incolumis, in cuius perniciem omnium a-
nimi concitati sunt. Non est enim bonus regni custos
 timor: & (ut ait Ennius) quem metuunt, oderunt:
 quem quisq; odit, perijse cupit. Nec sanè alius est ty-
 rannorum exitus, quam turpissima nex vel illata à
 suis, atq; omnium gentium comprobata consensu. quos
 omnes homines, omnes populi, & nationes tanquam
 pestiferum genus, & inhumanum ex hominum cõ-
 munitate, & ex humane nature finibus expellen-
 dos, exterminandosq; proclamant. Alexander, quē
 modo memini, ab vxore Thebe occisus est: & (ne
 plures commemorem, sunt enim infinita exempla) in
 Phalarim tota Agrigentinarum multitudo impetū
 fecit. Quod si populorum infamiam, si suorum odia,
 si vita sue pericula parui faciunt, at verba illa attē-
 dant, quæ in Sapientiæ libro scripta sunt: Quia non
 secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè, &
 citò apparebit. Exiguo enim conceditur vita. Poten-
 tes autem potenter tormenta patientur.

tyrannorum
 exitus turpissi-
 mus et miser

CAP. VIII.

IAM vero quæ figura, et habitus regem deceat, quibus etiam illum studijs, moribus, & virtutibus imbutum esse oporteat, deinceps dicatur. Neque oratorem Ciceronis exprimimus nulli omnino imitabilem; neq; remp. Platonis effingimus, quæ in fabulâ abijt; neq; principem Xenophôtis informamus, qualis inuentus est vsquam nemo. Neque verò Deus in vno solo homine caelestes omnes gratias collocavit, sed diuini spiritus dona sapienter partitus est: tamen ipsum regem quàm plurimis gratijs ornatum esse decet, quem cæteris præstare oportet. Quæ autè nõ perinde necessaria sunt ad regendas ciuitates, sed tantũ ad hominum commendationẽ, et gratiam faciunt, ea optabilia censemus: sine quibus verò administrari resp. nequit, ea necessaria ducimus. Cæterum in exprimenda forma regis imitabimur summos & egregios regũ pictores, & poëtarum facile principes Homerum, atq; Virgilium: quorum alter figurã Agamemnonis expressit, alter imaginem, & similitudinem Aeneæ. Quia verò regem prudentem, & equũ esse dicimus oportere ad iustitiam conseruandam, & similiter virum fortem, atq; magnanimum ad propulsandas inimicorum iniurias, non indecore bisformem illum faciemus; qualem Aegyptij iuuenem pa-
riter

viter et senem ob vires similiter et consilium Mercurium depingunt: quando etiam uterque ille pictor regem suum sapientem, & fortem inducit. Atque imprimis utriusque regis diuinum genus esse confirmatur. Siquidem magna vis est nobilitatis ad virtutem, & gloriam: quam fortuna non immutat, sed tantum culpa dedecorat. Iam statura corporis praestans, & insignis esto, & ad dignitatem apposita. Mox habitus oris, & forma insit egregia: in quo natura quicquid est in homine visu pulchrum, & specie honestum tanquam in edito quodam loco posuit. Frons, et supercilium, cuius remissio, & contractio motus animi declarant, grauitatem oleat hilaritate conditam. Oculi, in quibus etiam natura magnam posuit motionum animi declarationem, non impudentes, & leues; sed continentés sint, & graues. In tota denique compositione oris & hilaritas insit quae ad conciliandos hominum animos satis valet, & auctoritas, quae maiestatem quandam, & admirationem intuentibus affert: qualis Demetrius ad stuporem hominum, simul & gratiam concitandam natus esse videbatur: qualem etiam ferunt Gn. Pompeium fuisse & Antoninum, atque Adrianum imperatores. Nihilque sane est, quod aequè in rege comendatur, ac morum facilitate coniuncta seueritas. Haec forma est, haec species, haec figura, quae quouis magno, et amplo digna videtur imperio. Vultus denique, & totius corporis motus placidus,

uis nobilitatis

statura corporis

iucundus, grauis, & decens esto. Vox clara, & sua-
 uis, non languens, & stridula; quaeque, ut affe-
 ctus est animus, ita vel intendatur, vel remittatur.
 Vestitus autem, & corporis ornatus pulcher, &
 ad liberalem speciem regis aptus, atque conueniens
 pro locorum, temporum, & rerum decore. Et qui-
 dem Cyrus in corporis ornatu multum studij adhi-
 buit, cauitque ne cuiquam liceret torques, monilia,
 stolas, & huiusmodi vestes, & insignia gestare,
 quae à rege non accepisset: ut hoc modo Persam ad
 emulationem virtutis incenderet. Neque velim im-
 perij maiestatem in vestitu ponant: ut aureis se com-
 pedibus astringant, sericis ad fastum vestimentis
 obuoluant, gemmis quasi stellis distinguant. Barba-
 rorum est omnis immoderatus cultus, & luxus: o-
 diosique sunt, qui nec patrio, nec ciuili, nec demique
 humano habitu vtuntur: qualis impudentia (ut alios
 Imperatores omittam) in Caligula, & luxuries in
 Heliogabalo fuit. Sed vestitus omnis, & cultus au-
 geat virilem, & regiam dignitatem, neque insolens,
 neque ad muliebrem venustatem exquisitus. Po-
 stremo in omni re splendor quidam regius, animiq;
 maiestas, & lumen, & praestantia, quae fuit in A-
 lexandro singularis, eniteat. Sed in his sumus lon-
 giores, quoniam pulchritudo ex omnibus corporis
 bonis laudari plurimum solet; quae virtutem maxi-
 me significat; quamque Plato aded ex tulit, ut diui-
 nae bonitatis imaginem appellarit. Quamobrem Vir-
 gilius

vestitus

Caligulae cultus
 Heliogabali
 luxus.

pulchritudo
 maximè boni
 aegyptis.

gilius

gilius, Os humerosque Deo similis. & Homerus,

Ἀνὴρ ἦύστε, μέγας τε
ἦτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἕασιν.
καλὸν δ' ἔτω ἑγὼν ἔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
ἔδ' ἔτω γεραρόν. βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἕοικεν.

De Studijs Regis.

CAP. IX.

AT verò studia regis ea esse debent, quibus ad virtutem, & iustitiam instruat. Quis non reprehendat illiberalia quorundam regum, & vana studia, nullum neque fructum, neque laudem afferentia? Memoriae proditum est, Parthorum reges telorum cuspidibus acuendis non delectari solū, verū etiam gloriari solitos esse. Attalus Philomater dictus, omnem operam, & studium in colendis venenatis quibusdam herbis posuisse traditur. Aesopus rex Macedonum lucernas, & abacos fabricabatur; sic alios picture, alios tibijs, alios torno, alios (quod equidem turpius reor) Scenicae arti deditos fuisse accepimus. Domitianum verò quis non irrideat totum diē stylo ferreo muscas in cubiculo insectātem? Et Sardanapalum inter mulierum choros lanificia facientem quis non iure contemnat? Nec sum adeò ferus, et ab omni humanitate alienus, qui non sentiam à grauioribus curis interdum esse relaxandum animum, & ad leniora, & iucundiora studia traducendum:

sed ita remittendus est, non ut languescat ignavia,
sed ut redeat ex remissione ad labores alacrior. Au-
gustus horis pomeridianis pila, & solliculo se exer-
cebat. Laudant alij musicam, iocos, & facetias.
Virgilius vero Picum à venationis, & equorum stu-
dio collaudat.

venationis utilitas. PICVS equum domitor, debellatorque ferarum.
Hæc eadem studia Cyrus præ cæteris amplexus est,
ut quæ vires corporis auerent, atque ad artem mi-
litarem maximè conferrent. Omnino fugiendum est
otium, quod secum habet rerum negligentiam: quæ
timorem sæpe, & in maxima etiam securitate diffi-
dentiam parit. De quo poeta ille:

Otium reges prius, & beatas
Perdidit vrbes.

NEQUE vera animi quies in otio, sed in vsti
virtutis, & labore posita est. Atque ut iners agri-
cola, sic rex otiosus & sibi, & alijs est inutilis. At
vero somnum moderate capiat, non qui dominetur,
(ut Agesilaus dicere solebat) sed qui negotijs ge-
rendis deseruiat, & (ut ait Homerus)

Οὐ χρὴ τῶανύχιον ἔδει βουλευθῆσαν ἐνδὸς περὶ
ἡλίου τ' ἐπιτετραφῆσαι, καὶ τὸς σῶ μέρηδε.

Itaque Agamemnon, & Aeneas, quem fidus Acha-
tes, hoc est, cura semper comitatur, dormientibus a-
lijs ipsi totam noctem peruigilant, de populi salute,
commodisque solliciti. Patientia quoque calorum, &
frigorum non modo in principe laudatur, sed etiam

est saepe necessaria: non secus abſtinentia potus, & abſtinentia
 cibi. Nullum est enim Baccho, & Veneri cum Palla-
 de, Musisq; commercium: & ebrietas, quæ Philip- ebrietas
 po patri, Alexandro filio, Antiocho, Mitridati, Dio-
 nysus tantas ignominia maculas inuſit, in vna, ea-
 demque ſede cum maiestate morari, & conſistere,
 non poteſt. Iſta præcipuè ſunt, quæ ſtudia regis ad
 virtutem capeſſendam impediunt. Vt vero ſumma-
 tim ea complectamur, in quibus rex operam, & diſcenda regi ſan-
 ſtudium ponere debet, primum arbitror illud eſſe, ſtq; legi doctrina-
 quod in Deuteronomio regi præcipitur, vt diſcat ſan-
 ctæ legis doctrinam à ſacerdote: à quo exemplar vo-
 luminiſ legis accipiat, illudque legat, & præcepta
 Dei cuſtodiat, & ad religioſe viuendum multitudi-
 nem inducat. Nec illum velim moraliſ philoſophiæ
 ignarum; quæ vitiorum eſt expultrix, vitæq; magi-
 ſtra. Nec ſutilis eſt iuriſ ciuiliſ cognitio; qua intelligi-
 tur quid vnicuiq; tribuendum ſit. At naturaliſ phi-
 loſophia multis erroribus, & ſuperſtitionioſis ani-
 mum liberat, & expurgat. Diſcendæ quoq; Mathe-
 maticæ diſciplina; quæ vitæ uſui ſunt. Hiſtoriarũ le-
 ctionem ego ſoleo commendare ſummopere; quæ
 ſunt humane vitæ ſpeculum, & exemplar, & per
 quas excellentes homines quaſi hoſpitiõ excipimus,
 & illorum vtimur familiaritate, & congruſſibus.
 Scipio, cui cognomẽ ex virtute fuit Africani, ſtatuis
 maiorum ſuorum ad virtutem commoueri ſe non le-
 niter aiebat: quanto magis hiſtoria excitabunt,

que non simulachra sunt corporum, sed imagines animorum? Poëtarum quoq; grauiū, qui pictores sunt loquentes virorum excellentium, vt Homeri, quem Alexander in manibus semper habebat, et Virgilij, quem Augustus mirifice dilexit, nou vtilis modò, verùm etiam iucūda lectio est. Libri de regno quātum profint, antea dixi. Legendi sunt adhac libri ob res bellicas de arte militari. Atque vt multa legenda, sic etiam audienda, videnda, tractanda sunt ei, qui parare prudentiam velit: que cū in actione cōsistat experientie, & memorie alumna, his potissimè rebus comparatur: vt de prudente Vlysse prudēter Homerus, (vtar autem Horatij verbis)

Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.
Sed adiūgenda est omnium rerum condimentum, & ornamentum eloquentia; que dici non potest, quantū in hominum animis dominetur, flectens illos, & ducens quo vult, & vnde vult deducens. Non enim semper vi, aut minis vtendum est, sed ratione, & suasioe frequentius. Nec vlla vis est ad imperandum melior, & prestantior, quam copiose loquens sapientia: qua magni viri ad res gerēdas semper vsi fuerunt. Vides vt Homeri duces in concione versentur? nec Martem modo, verum etiam Musas colant, que reges immortales, & venerādos efficiunt? Linguarumq; peritia, que immensum decus attulit Mitridati, agendis rebus, populisq; regendis perquā necessaria videtur. Neq; vero sum tam amens, vt re-

gem

pocui

aboguita.

Linguarum peritia.

gem his omnibus doctrinis occupatum velim: Sed quod illi à rep. superest otium, nihil de opera publica detrahēdo, in his studijs ita impēdat, ut optima vitæ præcepta, & exempla, tāquam apis, ex omnibus delibet; quibus ad bene viuendum, & ad reip. recte administrandum informetur. Omnis enim labor, & studium reip. debetur: Studiosumq; finis nō in quadam inani rerum contemplatione ponendus, sed ad actionem (ut docet Plato) referendus est.

Quod male sentiunt, qui doctrinarum cognitionem regi negant esse necessariā.

CAP. X.

HIC vereor ne quis mihi obijciat non minus homo scelestus, quā imperitus, doctrinarum cognitionem regi minimè esse necessariam. Sed quid magis necessarium est ei, qui alios regit, quā magnarum, & multarum rerum scientia? Cui Chilon vnus è septem sapientibus sentit omnia summa, & ima, mortalia, & immortalia, humana, & diuina esse animo concipienda: quem videlicet vnum omnibus providere, sapereq; oporteat. Prosector vdis princeps, & ignarus acie mentis, velut oculorū visu orbatus, in r. ille errorum vias abducitur. Primum doctrina prudentiam gignit: atq; ut experientia fenēs, sic eruditi homines sunt ipsa rerum scientia providentes. Deinde nullus alius est animi cibus, quā cognitio: cui na-

turalis quadam insita est veri semper videndi cupiditas. Postremo nulla delectatio maior ea dici, aut cogitari potest, quæ ex eruditione percipitur, vipote conueniens, & apta humanæ naturæ. Nam veritatis inquisitio proprium est animi opus, atque perfectio. Ad hæc, studijs literarum nullum est ornamentum pulchrius in secundis rebus, neque in aduersis commodius perfugium. Aut quid obsecro dignus claro viro, & reip. principi esse potest, quàm rerum verarum, & honestarum intelligentia? Et decorum ne magis est animos in turpi otio languere, quam bonarum rerum studijs, & disputationibus acui? An cõiniuum parare, voluptatum illecebras, & lenocinia callere, hoc dumtaxat necessarium esse putant? & ignorare quæ clari viri egerint, quibus rebus animus ad virtutem excitetur, ut à vero falsum, & ab honesto turpe discernatur, hoc prudentiæ, hoc laudi ducunt? Bellam præferunt prudentiam, vel insipientem potius sapientiam. Ergo sic existimo, hominem indoctum non dicam à stultis, & truncis, ut plerique docti viri loquuntur, sed à belluis nihilo pene differre: cuius animus, quo ab illis maxime distamus, ignorantie tenebris obductus quàm minime apparet. Verùm equidem arbitror eos non hæc sentire, quæ loquuntur, sed velle ignorantiam suam tegere simulatione prudentiæ. Atqui Alexander ille magnus Aristotelem obseruat, & eruditos viros admiratur: quorum gratia non modo

civitati-

hominem indoctum
simile est a tru-

ciuitatibus parcat, sed etiam deiectas vrbes in inte-
 grum restituit. Pericles Anaxagoræ institutis quan-
 tam laudem, & dignitatem assequutus est? Quan-
 tam Epaminondas philosophiæ studijs? qui Lacedæ-
 monios vniuersæ Græciæ imperantes solus penè op-
 pressit! Scipio Panatium, & Polybium comites
 habet doctissimos viros. Cæsar liberalium artium
 doctores ciuitate donat. Augustus vel in maximis,
 difficilimis que rebus legisse, scripsisse, declamasse
 fertur. Vides vt inter Virgilium, & Horatium de-
 ambulet? Vides vt Ario philosopho tot, & tantos
 honores conferat, vt plures ille, & maiores optare
 non possit? Quid Adrianum? quid Iulianum Impe-
 ratores? Quid Alphonsum Neapolitanorum regem?
 quid longè ante horum ætates Solonem, Architam,
 Pittacum referam, in litteris non minus, quàm in
 publicis rebus eruditissimos homines? & haud scio
 quo pacto factum sit, vt iisdem temporibus summi
 Imperatores, & principes viri extiterint, quibus
 homines aliqui doctrina claruerint. Longum esset o-
 mnes recensere, qui aut literarum studijs, aut litera-
 torum hominum consuetudine delectati, præclarisq;
 vitæ proceptis, & doctrinis imbuti, & exculi ma-
 gnam laudem, & gloriam consequuti fuerunt.
 Quod propter Philippus rex Macedonum Alexan-
 drum filium hortabatur, vt Aristotele philoso-
 pho vteretur: ne multa eiusmodi ageret, quæ se
 fecisse iam pœnitebat. Et Dionysius exulans
 Corinthis

philippi regi
 adhortatio.

Corinthi obiectante quodam consuetudinem Plato-
 nis, An parum, inquit, utilitatis cepisse tibi videmur;
 qui hoc animo fortunæ mutationem sustinemus? Nunc
 contra eos intueri, qui aut doctrinas, aut consuetudi-
 nem doctorum hominum neglexerunt, quàm fuerint
 impudentes, pertinaces, peruersi, barbari, rudes, hebe-
 ses, ignari, desides, inertes, otiosi, gula, ventri, solis-
 quæ voluptatibus mancipati. Esto, reip. negotijs occu-
 pati ad studia doctrinarum mentem applicare non
 possint; tamen ipsa doctorum hominum familiaritas
 non dicam utilis, sed omnino illis necessaria est, à qui-
 bus vera, et iusta cognoscant. Quodnam igitur regi
 maius vitæ ornamentum erit, quàm rerum cognitio?
 & ciuitati res utilior, quàm eruditio regis, atq; sci-
 entia? At certè proceres isti saltem illustrandi nominis
 sui gratia doctissimorum hominum scriptis illos ob-
 seruare deberent: qui tanta laudis ambitione, & glo-
 ria cupiditate deflagrant. Quod à Dionysio iuniore
 factum videmus: qui dictitabat se multos alere bo-
 narum, et liberalium artium doctores, non quod illo-
 rum doctrinam suspiceret, sed quia per illos ipse alijs
 admirationem sui asserre putaret. Atque Antigon-
 nus secundi Demetrii filius Zenone Citieo philoso-
 pho mortuo, quem vehementer diligebat, theatrum
 gestorū suorum querebatur esse sublatum. Ritequæ
 Lacedæmoniorum reges ante pugnam Musis sacris-
 cabant, ut (quemadmodum Archidami filius Ende-
 monidas rogatus respondit) rebus præclare gestis
 præ-

Antigoni dicitur

præclare quoque orationes contingerent. Nec inuentus est vnquam vllus bonus Imperator, qui (vt est apud Archilochū) aut opera Martis, aut Musarum dona contempserit.

De Ciuili Scientia.

CAP. XI.

SED ne pluribus in re manifesta disputemus, potest ne quis rectè imperare, qui Imperatoris artem non teneat? aut nauem gubernare, qui nauigandi rationem non habeat? nec remp. bene potest administrare, in quo non insit ratio quadam, & prudentia reip. gerenda. Veh terra (inquit Ecclesiastes) cuius rex puer est: qui ciuili discipline ignarus impetu quodam animi, & perturbatione, non ratione, & consilio ducitur. Atqui ciuili scientia ex multarum rerum cognitione, & experientia comparatur. quâquam ipsa natura, & ingenium magnam vim affert ad regendum. Versatur autem hæc facultas prouidendo, & iudicando circa gubernacula ciuitatis communem utilitatem, & felicitatem tuens: quartè gratia reliquis artibus tanquam ministris ipsa tanquam architectonica vitur. Eius verò præcipuum opus est, leges condere, conditasque seruare. Quare ciuium commodis, & utilitatibus prospiciens ciuili prouidentia nominatur, & scientia, & sapientia, et regia virtus. Quam sapientiam Plato ait non vtilè modo

modo, verum etiã necessariã principatui non aliter
 esse, quã materia formã. Ideoq; resp. beatus fore
 existimauit, quas sapiẽtes homines regerẽt. Nã Im-
 perij vim, et dominatus nihil equẽ moderatur, et fra-
 nat, ac sapientia. Sapiẽtia autẽ caput est, populi mo-
 res, et ingenia cognoscere. Nã qui sunt durioris cer-
 uicis, quales barbaræ nationes, eos grauiore imperio
 regere oportet: qui verò potius comitate, quã seue-
 ritate reguntur, mansuecẽ, et benigne tractãdi sunt.
 Quæ hominũ ingenia pro natura loci, & celi, vitæ
 quoq; ratione, & consuetudine dissimilia videmus.
 Athenienses ad irã, & misericordiã faciles: Cartha-
 ginenses tristes, pertinaces, & duri: Romani graues,
 benigni, patriæ amantes, honorum, et gloriæ cupidi.
 Etenim morũ ignoratio, eorum, quibus cum agimus,
 sæpẽ nos opinione, inceptisq; frustratur. Itaq; vidẽ-
 tur ob dissimilẽ populi naturã, & consuetudinẽ Ly-
 curgus fortitudinem magis, Numa iusticiam coluisse
 dissimili studio. Atque ille optimum factu existima-
 uit, otiosam urbem opere assiduo, & labore fatiga-
 re: hic ab armis ad otium reuocare, & furentem
 populi animum iustitia, & religione comprimere.
 Igitur Lycurgus dissolutam Spartam intendit, inten-
 sam Romam Numa remisit. Atq; vt in intensiõne,
 & remissionẽ ciuiliũ actionum rex citharistam
 imitatur, sic in temperato vitæ modo, & ordine me-
 dicum: qui lenia leuiter curat, vltima verò per fer-
 rũ, hoc est, virgis, et securi pariter pro re vti. Sed eo
 quidem

Sapiẽtiæ caput
 populi morũ
 nã sic.

quidem gravior, & optabilior medicus est, quo molliori brachio medetur: quiq; in variis, & diuturnis morbis interdū voluptates quasdam callidè, & tutè concedit; interdum quoq; secationes, & exustiones accuratè admouet. Optimū autem consilium, maximeq; desiderandum, et à Scipione probatū, tempore securitatem emere. Præterea domitores equorū imitetur; ut præmiorum spe, & suppliciorū metu quasi frænis languentem populum excitet, exultantemque coërceat. Sanè populus, ut pote bellua multorū capitū, multiplici (ut ait Sophocles) fræno indiget. Atq; ut equestris artis est mansuetum, & obsequentem equum præstare; sic regie disciplinae munus, obediētes, & modestos populos reddere, bono tamē modo, & benigne, non cogendo semper, sed interdum suadendo, monendo, arguendo, nec omnem suspicionem persequendo, sed quibusdam etiā leuioribus in rebus conuendo; at rem præsertim in ancipite, et periculoso tempore differendo: et arrogantiam omnem, et iniquitatem coërciendo, et puniendo, clementer afflictos supplicesq; suscipiet. Hæ videlicet sunt ciuiles artes.

Pacique imponere morem,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Præstat autem in regēdo Solem ipsum imitari moderatorem luminum reliquorum; qui supremi cæli, quod primum mobile appellant, conuersionibus obsequutus; quia sine altero contrario motu rerum natura consistere non posset, ipse leniter obliquo circulo

modo, verum etiã necessariã principatui non aliter
 esse, quã materia formã. Ideoq; resp. beatas fore
 existimavit, quas sapiẽtes homines regerẽt. Nã Im-
 perij vim, et dominatus nihil equẽ moderatur, et fra-
 nat, ac sapientia. Sapiẽtiã autẽ caput est, populi mo-
 res, et ingenia cognoscere. Nã qui sunt durioris cer-
 uicis, quales barbaræ nationes, eos grauiore imperio
 regere oportet: qui verò potius comitate, quã seue-
 ritate reguntur, mansuetè, et benigne tractãdi sunt.
 Quæ hominũ ingenia pro natura loci, & celi, vitæ
 quoq; ratione, & consuetudine dissimilia videmus.
 Athenienses ad irã, & misericordiã faciles: Cartha-
 ginenses tristes, pertinaces, & duri: Romani graues,
 benigni, patriæ amantes, honorum, et gloriæ cupidi.
 Etenim moriũ ignoratio, eorum, quibuscum agimus,
 sæpè nos opinione, inceptisq; frustratur. Itaq; vidẽ-
 tur ob dissimilẽ populi naturã, & consuetudinẽ Ly-
 curgus fortitudinem magis, Numa iustitiam coluisse
 dissimili studio. Atque ille optimum factu existima-
 uit, otiosam urbem opere assiduo, & labore fatiga-
 re: hic ab armis ad otium reuocare, & furentem
 populi animum iustitia, & religione comprimere.
 Igitur Lycurgus dissolutam Spartam intendit; inten-
 sam Romam Numa remisit. Atq; vt in intensione,
 & remissione ciuiliũ actionum rex citharistam
 imitatur; sic in temperato vitæ modo, & ordine me-
 dicum: qui leuia leuiter curat, vltima verò per fer-
 rũ, hoc est, virgis, et securi pariter pro re vti Sed eo
 quidem

Sapiẽtiã caput
 populi morũ
 no. 36.

quidem gratior, & optabilior medicus est, quo molliori brachio medetur: quiq; in variis, & diuturnis morbis interdū voluptates quasdam callidè, & tūtè concedit; interdum quoq; secationes, & exustiones accuratè admouet. Optimū autem consiliū, maximeq; desiderandum, et à Scipione probatū, tempore securitatem emere. Præterea domitores equorū imitetur; ut præmiorum spe, & suppliciorū metu quasi franis languentem populum excitet, exultantemq; coërceat. Sanè populus, ut pote bellua multorū capitū, multiplici (ut ait Sophocles) freno indiget. Atq; ut equestris artis est mansuetum, & obsequentem equum præstare; sic regie disciplina munus, obediētes, & modestos populos reddere. hoc tamē modo, & benigne, non cogendo semper, sed interdum suadendo, monendo, arguendo, nec omnem suspicionem persequendo, sed quibusdam etiā lenioribus in rebus conuiuendo, aut rem præsertim in ancipite, et periculoso tempore differendo: et arrogantiam omnem, et iniquitatem coërcendo, et puniendo, clementer afflictos supplicesq; suscipiet. Hæ videlicet sunt ciuiles artes.


Pacique imponere morem,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Præstat autem in regēdo Solem ipsum imitari moderatorem luminum reliquorum: qui supremi cæli, quod primum mobile appellant, conuersionibus obsequutus; quia sine altero contrario motu rerum natura consistere non posset, ipse leniter obliquo circulo

circulo contranitens nouam quandam rationem init,
 que ex temperata calorū conuersione procreatio-
 nem rerum, & conseruationem tueatur. Hic celo-
 rum est ille concentus ex dissimilibus motibus effe-
 ctus, quem nullius vnquam aures perceperunt, solū
 animus, intelligentiaque comprehendit. Eodem mo-
 dō status ciuitatis ex comitatis, & seueritatis tem-
 peratione consistit. Nam alioqui tristis, & acerba
 seueritas, ut indulgens, & ad populi gratiam accō-
 modata facilitas, sine alterius temperamento, graui
 labe, & calamitate ciuitates affecit. Cato si de seue-
 ritate sua paululum decessisset, & aliquibus huma-
 nitatis condimentis reip. vulnera mitigasset, non sa-
 nē illa tantam ruinam perpeffa fuisset. Alcibiades
 nullam seueritatem aspergens, populum Athenien-
 sem facilitate corrupit. Quanquam pro locorum, tē-
 porum, personarum discrimine quandoque seuerita-
 te magis utendum, quandoque facilitate, prout pru-
 dens ratio præscripserit. Ideoque tutelare numen
 Hermionem ob temperatam cum benignitate seue-
 ritatem Poëta Martis, & Veneris filiam esse con-
 finxerunt. Et summus ille mundi gubernator Deus
 non tam vi, quam arte quadam, que lenit parendi
 necessitatem, vniuersitatem rerum moderatur, &
 regit. Vnde Solon aiebat, Populum tum optimē obe-
 dire, cum nec solutus nimis, & liber est, nec seruilē
 in modum depressus. Nam alioqui difficilis ad obe-
 diendum, ad repugnandum pertinax fit regis aspe-
 ritate,

vitate, licentiaque deterior. Hoc quidem pacto lau-
 dabiliter in regno democratia constituitur; cum in il-
 lud quicquid laudabile est aliarum rerump. trans-
 fertur: cum colitur multitudo popularis, res civiles
 iuste administrantur; in bellicis rebus ars militaris,
 in periculis consilium adest; postremo omnia regie,
 hoc est, prestantissime geruntur. Illa etiam sunt in-
 gentis prudentiæ, & civilis discipline precipua mu-
 nia, futuris prospicere, nequid desit videre, fovere
 virtutes, vitia corrigere, contentiones euellere, verã
 honestarum emulationem disseminare, erumpentes
 seditiones extinguere, dissimilitudinem morum, in-
 dignam honorum inæqualitatem, invidiam, arro-
 gantiam, metum, aliorum contempionem, magistra-
 tuum negligentiam, atque recordiam tollere; deniq;
 tanta charitate omnia inter se deuincire, vt nulla re
 aduersa dissolui, & labefactari possint. Hoc quia
 Num. e desuit, eius instituta breui tempore steterunt.
 Qua autem leges prescribende, qui mores inducendi,
 que premia, que supplicia proponenda, quo demum
 pacto resp. instituenda sit; non est nostri operis in-
 stitutum: qui solum hoc docere instituimus, nimirum
 quibus studijs, artibus, moribus, virtutibus rex insti-
 tutus, & ornatus esse debet, vt reimp. prudenter,
 sapienterq; administret. Ceterum hæc civilis prudẽ-
 tia humano ingenio, & arte percipi non potest: nam
 omnem humani animi solertiam, & vim superat:
 sed diuini quodam numini, afflatu indiget. Ideoque



civilem scientiam Plato vaticinium vocat, utpote
 diuinitus infusam: et sceptrum, quod Ainoi ab Ioue
 collatum Hesiodus scribit, nihil aliud esse putat,
 quam Iouis doctrinam, qua Cretam diuina quadam
 ratione gubernauit. quem ob id Homerus $\delta\alpha\pi\iota\sigma\iota\nu$,
 hoc est (Platone interprete) Iouis familiarem, atque
 discipulum vocat. Et Achatem Acneæ, quem antè
 curam interpretati sumus, alij bonum, & diuinum
 Geniũ esse volunt; qui præstantibus quibusdam ho-
 minibus est præsens, ab illisque solis conspicitur; ut
 de suo predicantem sæpe multa Socratem legimus.
 Quid plura? Salomonis illa regendarum ciuitatum
 sapientia, quæ à Deo optauit, & præ cæteris re-
 bus elegit, quamque omnes gentes, & nationes,
 præsertimque Regina Saba admirata est, non fuit
 è celo infusa? Igitur Platonis voce ita rem omnem
 concludo, Pacatam fore, & tranquillam ciuita-
 tem, si diuina quadam sorte philosophico animo
 regia potestas tribuatur; quæ virtutem vitij vi-
 ctricem, & contra libidinem superiorem constituat.

De Imperio sui ipsius,

CAP. XII.

AT quantam superbiam, arrogantiam, inso-
 lentiam, & temeritatem sonat vox illa Caligule,
 Memento omnia mihi, & in omnes licere! Porro
 vitiositas celerem nacta cursum ex potestate qui-
 busuis

supra vox
 Caligule.

bus suis stimulis perturbationum concitat animum;
 & molestiam libidini adiungens, veluti furens
 illum huc, & illuc exagitat. Equidem ut vitium
 vasis arguit infusus liquor, si distillet; sic animus vi-
 tiosus, potentiam non ferens, cupiditatibus effluit.
 Necessè est autem eum esse rectum virum, qui alios
 regit. Nam ut pravam ad regulam si res dirigantur,
 distorte fiunt; sic rex prius seipsum rectè instituat,
 ut inde, veluti regula, suis moribus aliorum vitam
 metiatur. Non enim alijs bene potest imperare, qui
 rationi prius obtemperare non didicerit. Sanè ma-
 gnus ille mundi fabricator Deus, in ipsa hominis fa-
 bricatione, tot, & tantasque vires, atque adeo varias,
 & multiplices permiscuit, ut homo ipsa hydria mō-
 strosior sit, tot, & tanta perturbationum capita at-
 tollens, atque insolentius semper exultans. Insunt
 enim ira, & cupiditatis incredibiles motus: qui
 rationi non obtemperantes animi iudicium peruer-
 runt, illumque impellunt ad libidinem, & turpitu-
 dinem, ad metum, & anxietatem, ad vim infe-
 rendam, & ultionem; & quicquid est in homi-
 ne veritatis lumen, id omne tenebris offun-
 dunt. Hic est in homine popularis ille status, qui
 diuersis studijs, & appetitionibus in partes mil-
 le distrahitur. At si regina ratio dominetur,

ratio regina

& presit, & motus animi appetentes regat,
 & obedientes sibi efficiat, tum vnus domi-
 natu tranquille omnia tenebuntur. quo nihil

homini melius, & optabilius esse potest. Nam ratio tanquam valetudinis custos, obseruans quæ prodesse solent, aut obesse, noxia remouet, & utilia relinquit. Ipsa est omnium (vt ait Pindarus) regina, non in marmoribus incisa, sed in animis insita lex: quæ iubens facienda, & contraria prohibens, cuncta honestatis regula definit. Quam, mali reges, & cupiditatibus seruietes, nolunt ducem admittere, ne, es principe, voluptates spernere, atque honestati seruire cogantur. Hoc Pythium oraculum est, & responsum Cræso datum, vt se ipsum cognosceret: non inquam imperij sui gloriam, & amplitudinem, sed viam magistræ, & dominam rationem, quæ perturbationes animi sedaret, ac potentia magnitudinem, tumoremque reprimeret. Neque minus regium esse docet Poëta, appetitus coercere, quam populis dominari.

Latius regnes auidum domando

Spiritum, quàm si Libyam remotis

Gadibus iungas, & vterque Poenus

Seruiat vni.

Et Agesilaus gloriabatur, quòd sibi magis, quàm alius imperare didicisset. Et Cato senior pessimum imperatorem aiebat, qui sibi imperare non posset.

Alexander etiam ille magnus honestius, & gloriosius seipsum vincere, quàm hostes, putabat. Quis autem fieri potest, vt qui vitæ suæ clauum tenere nesciat, tractet gubernacula ciuitatum: & constan-

tiam,

tiâ et æqualitatē seruet is, qui diuersis perturbatio-
 nibus afficitur: & aliorum mores componat, qui à
 se ipso dissentit? Profecto qui vitam suam, & mo-
 res virtute conformat, is ratione cuncta perpendit,
 non minus seipsum erubescens, quàm alios. Sed
 quem felicitatis opinio corrumpit, is difficilis alijs, &
 morosus, sibi semper inæqualis, & inconstans, dum
 omnia licere sibi arbitratur, nihil facit, quod hone-
 stum, & laudabile sit. Patet igitur non posse eum
 alios continere, qui se ipsum non continet, nec alijs im-
 perare, qui libidini, auaritiæ, voluptatibus parere nõ
 desierit.

Qualis est rex, tales solent esse reli-
 qui ciues. CAP. XIII.

QVIS autem non turpe ducat, Regem, à quo
 ciues iustitiæ, temperantiæ, pudoris, continentie petunt
 exempla, in auaritiæ, & libidinis crimine compre-
 hend: nec aliorum ora vereri, ne id faciat, quod non
 decet, qui alijs pudori esse debet? Cuius mores, &
 vitam ita reliqui imitantur, vt eius exemplo vel
 maxime inueteratos mores, & opiniones facillime
 immutent. Licetque videre eorum, qui præsumunt, vi-
 uendi rationem, si mutetur, statim in populo sequi.
 Tanta vis est regie dignitatis in hominum animis,
 vt bene Plato, Quales, dixerit, in rep. principes sunt,
tales solent esse reliqui ciues. Nam quos honore, glo-

ria, dignitate amplificatos vident, horum sibi mores effingunt, nec quicquam aliud sequendū putant, nisi quod principes ipsi probauerint. Recte q̄; Poëta ille,
Componitur orbis

Regis ad exemplar. Et Sophocles,

Πόλις γὰρ ἐστὶ πῶτε τῶν ἡγουμένων.

Et Ecclesiastes, Qualis rector est ciuitatis, tales habitantes in ea. Vides igitur quanti momenti sint regnantium mores; qui soli corrumpere, & corrigere ciuitates possunt? Neque si peccent ipsi, hoc solū mali est, quod peccent, sed etiam alios corrumpunt: vt contra vitæ suæ descriptione aliorum mores, & consuetudinem corrigunt. Sic virtutes, & vitia, quæ animo conceperunt, in ciuitatem infundunt. plus quæ obsunt, vel profunt exemplis, quàm peccatis nocent, aut proficiunt rectè factis. Nec est quod turpitudinem vllam, aut vitium simulatione aliqua tegant. Nam populus in regem, tanquam in edito loco positum, & in clarissima luce versantem oculos coniiciens, omnia curiosè, & diligenter inquirit, quid agat, quid dicat, quæ admodū viuat, et in illius animū quasi per rimulas inspicit. Quin ipsi parietes, ita me Deus amet, loqui, & omnes voces, actiones, mores principum edicere, & arcana proferre, & diulgare videntur; vt nullum neque dictum, neque factum illorum diutius latere possit. & quod grauius est, vniuersi minima quæque illorum errata studiosè animaduertunt. Cimoni Athenienses vinum,
Scipio-

Scipioni somnolentiam Romani obiecerunt; & Pöpeius, quòd digito caput scalperet, ab inuidis mordebatur. Quòd si omnes vitiorum nota penitus elui non possunt; at verruca prominentes in facie & macule turpes deleantur, quibus intuentium aspectus grauius offendi possit. Verum tamen qui de rep. bene mereri volunt, non popularem auram aucupantur, sed ita mores suos, & vitam insti- tuant, vt non inde laudem vllam, vel admiratio- nem petant, sed alios ad virtutem iuuent. Tunc autè se profecisse intelligent, cum iustitiam, fortitudinem, continentiam publicè coli, & exerceri cognouerint.

De Moribus Regis.

CAP. XIII.

QVONIAM verò dicimus Regem bene mo- ratum esse debere, quid mores significent, declaran- dum est. Mores voco naturales quasdam animi af- fectiones: quæ licet ex se, quoniam volütariæ nõ sunt, laude, & vituperatione careant; tamen illarum ali- qua vi sua laudatur, vel reprehenduntur, cum habet aliquã virtutis, aut vitij significationem: quanquã è consuetudine vires capiunt, & cõtrario sepe vsu im- mutantur. Quæ animi affectiones vitæ formam ef- fingere videntur: & talis est cuiusque vitæ modus, vt illius affectus est animus. Volumus autem regios mores ob reuerentiam graues, sed facilitate conditos,

qua hominum studia complectatur, & teneat. Nā
 sine humanitate grauitas acerbiter imitatur; hu-
 manitas verò parit sine grauitate contemptum. Et
 scitè Lacon ille Cleomenes Anaxandride dicente
 quodam, bonum regem omnino mitem, & comem
 esse debere, Dum in contemptum, respondit, non ve-
 niat. Atqui regi hæc duo maxime proposita sunt, vt
 obseruetur, & ametur à suis. Nam vt grauitatis
 personam diuinitus impositam sustinet, habet vene-
 rationem iustam; vt verò natura similis est his, qui-
 bus præest, atq; etiã subiectus Deo, mäsuetudinem
 habere, retinere humanitatem, facilitate, & beni-
 gnitatem exercere debet, nec se ita atollere, vt hu-
 manum fastigium excedat, nec demittere, vt despi-
 ciatur. hoc dignitatem, & auctoritatem minuit, illud
 cum hominibus, tum maxime Deo est odiosum. Ac
 nulla res fastidium æque affert, vt insolentia: è qua
 nascitur arrogantia; cuius comes est solitudo: ex ar-
 rogantia odium; quo nihil esse potest homini, præ-
 fertim principi viro detestabilius. At verò iugum
 seruitutis populi æquiore animo perscrunt sub man-
 sueto principe, & humano, quoniam humanitate
 facilius ducimur, quàm vi: si non libertas potius, quàm
 seruitus appellanda est, boni principis obedire, et pa-
 rere voluntati. Sed mali principes imitari mihi vi-
 dentur malos fectores; qui, vt tum illi existimant Co-
 lossos artificiose fieri, cum diductis cruribus, disten-
 sisque tibys finguntur: sic ipsi non vitæ institutis, sed

grauitas sit
 humanita-
 te condita.

contracto supercilio, toruis oculis, horribili aspectu,
 acerba voce, minacibus verbis, & asperis moribus
 reuerentiam captare enituntur: intus verò animus
 male informatus, & falsis opinionibus deceptus,
 vitiiſque corruptus est, non aliter quàm Colossi toti
 intus ferro, plumbo, terra, cemento pleni sunt. Sed
 hoc melius in Colossis, quòd non facile dimouentur;
 hi nullam vitæ seruant constantiam, & firmitatem.
 Barbaris principibus, & tyrannis elationem animi,
 & tyrannicum spiritum relinquamus; qui virtutis
 expertes, & vera dignitate nudati ad simulationem
 descendunt, nunc sese abdendo, nunc cum ostentatione
 quadam prodeundo. Boni autem reges obseruantiam
 petunt institutis vitæ, & eos, quibus præsent,
 morigeros, & obsequentes reddunt modera-
 tione animi, & constantia; nec terribiles sunt, quia
 graues, aut molesti, sed quia multo alijs excellunt in-
 genio, & virtute. Nec me fugit esse quosdam viros
 sine contumacia graues, sed qui nihil vnquam de
 sua seueritate remittant; qualis fuit Cato, & Pho-
 cion: verum hi admirationem quidem singularem
 afferunt, fractum verò parem non assequuntur.
 quemadmodum intempestiua poma, & edita ex-
 tra naturam legem non tam comedere, quàm demira-
 ri solemus. At humanitatis dulcedo (vt inquit Va-
 lerius) etiam ingenia Barbarorum penetrat. Nam
 ad humanitatem, & facilitatem potius, quàm ad
 morum asperitatem nati sumus. Non largitis, non

ambitus ad amandum alicui; infida est enim omnis corruptela; sed oratio blanda, sermo mitis, morum facilitas, fides, & integritas. His vere aureis vinculis aequo, & lubente animo constringi sustinemus. Nec immerito Cyri, & Artaxerxis mater dicebat regum verba bysina esse debere, hoc est, suavia, & iucunda. Vltro sese offerat venientibus, fugiat in compellendo difficultatem, asperitatem in congressu, sit benignus in audiendo, petentibus comiter, humaneque respondeat; atque, omni tumore depresso, summa facilitate loqui sit, & audire paratus. Nam qui difficilem se præbet accedentibus, non magnanimum se regem, non optimum gubernatorem declarat, sed deridentis alios, aut contemnentis affert indicia. Philippus rex suis vehementer charus fuit ob facilitatem morum, qua omnes, qui se adibant, amplectebatur. Contrà odiosus Demetrius: in quem recte annus quædam cum eum rogasset, ut audiretur, illeque respondisset sibi otium non esse, alta voce proclamavit, Ne etiam regas? At quam magnificè, & splendide Titus Vespasianus, qui humani generis delitæ dicebat, non oportere quæquam aiebat à rege mestum discedere. Atque ut dux apum est sine aculeo, sic regem furoris expertem esse oportet. Quare iracundiam frenet; qua mentem è sua sede disturbat. qua qui facile commouetur, teneat illud Athenodori philosophi præceptum, Augusto Casari datum, ut iratus nihil dicat, vel agat, priusquam alphabetum secum

Dicitur annus
in Demetrii.

T. Vespasianus
didit.

Athenodori
philosophi
præceptum.

secum recitet, ne ea committat, quorum deinde pœnitentia crucietur. Iniuriæ, ac maledicta ferenda sunt; quorum perpeſſio nulli ſit obſutura. Nam rei cauſa, & communis tranquillitatis, publicas, & alienas iniurias regem grauius vlciſci decet, & tanquã Deũ ciuium priuatas vindictas in ſe recipere, ſeruanda iuſtitia gratiã. Quæ facilis priuatarum iniuriarum perpeſſio in Caſare, & maledictorum in Antigono eſt laudata ſummopere. Quid autem magis humanum, quã odia remittere, ſimultates deponere, in vlciſcendo natura leniſſimum eſſe! Credulitatem intellige temeritatis, et inſipientiæ comitem eſſe; nec maius ullũ ſtultitiæ argumentum ipſa credulitate. Habet, quippe veritas tot, tantasque latebras, & reſſus, ut à paucis conſpiciatur. Delatoribus fidem præſtare, quod aliud eſt, quã aditum aperire, quo omnium inimiciæ ad te deſerantur? Et Domitiani vox illa cum plauſu excepta eſt, Princeps, qui delatores non caſtigat, irrat. Veritatis cultorem, fraudis inimicum præſta: atque ita gere, ut maior fides verbis tuis quã aliorum iuri iurando habeatur. Non dicam, ne reges fraudem faciant, ne dolos moliãtur, ne fallacijs delectentur, ne inuidi, & obtrectatores, ne inuercundi, & impudentes ſint: quæ omnia ſunt odio, & vituperatione digna maiore, quo magis in his cernuntur, qui ſuorum morum exemplo ad virtutem alios excitare debent. Hæ ſunt, atque huiusmodi animi aſſeſſiones, quas natura ipſa commendat.

Credulitas
ſtultitiæ ſignum

QVAE animi affectiones si ratione perficiantur, et constantes fiant, erunt per se ipse laudabiles, & virtutum nomina sortientur: è quibus honestæ voluntates, & omnes rectæ actiones profisciscuntur. quarum tractatio philosophorum propria est: nos breuiter eas attingemus, quas regi maximè necessarias esse ducimus. Atque adest primo pietas, & religio, virtutum omnium, & regni fundamentum; Deo pariter, & hominibus grata. Nam qui pura, casta, & incorrupta mente numen diuinum colit, is Deo arcana quadam sanctitate coniungitur. Nec vlla re magis populi reuerentia, et fides captatur, quàm religione. Siquidem hominem religiosum quasi Deo charum, & familiarem suspicimus: nec suspicamur aduersi quicquam illi posse contingere, quem caeleste numen tuetur, & protegit. Adeoque Alexander superstitionem quoque laudare solebat; quòd facile per illam & commodè in hominum animos illabi posset. Et quam alia ratione urbium, legumue conditores homines in vnam societatem conuocarunt, illisque leges imposuerunt, quàm cultu, & religione Deorum? Nam (vt Varro sentit) nulla re populus æque ac concepto aliquo diuini numinis metu legibus se submittit. Atque hoc primum legis latorum studium Plato scribit esse debere; vt sancto & diuino cultu

virtutes re-
gis pietas et
religio.

cultu ciues pios, et iustos efficiat: quonia is, qui pietatem colit, iustitiam violare non potest. Sed cauedum est summo studio, ne qua religionum varietas obrepat, que ciuitatem maxime turbat, diuersisque curis hominum animos, & remp. dissipat. Verum esse religionem vnā sanctam, & veram, quam tuetur Ecclesia Christiana, luce clarius est. Iam verò intueri Dauidem regium religionis exemplum, vt prouideat Dominum in conspectu suo semper, nec vlla re commoueatur, nec presente numine diuino hostes, nec castra, nec acies, nec mortem, nec ipsa denique inferna pertimescat. In tuto profecto is est, qui in tutelam Dei pio cultu, & sanctimonia peruenit. Pietatem sequi debet rerum agendarum regula prudentia, dux *prudentia.* & princeps virtutum reliquarum. Dico autem prudentiam non ciuilem, que à regendis, & conseruandis hominum coetibus est antè ciuilis appellata sciētia, sed domesticam intelligo; qua dubijs rebus nostris consulimus, & tanquam regula, dicta omnia, & facta ad honestatis metam dirigimus. Finiturq; recta rerum agendarum ratio: que versatur in bonis deligendis, reijciendisque contrarijs. Vnde Ciceroni dicta est à prouidendo prudentia. Hec iubet ne quid inconsulto agatur, quoniam temeritatis, que iudicium praeuertit, comes est poenitentia; & vbi consuleris, iubet ne moram vllam interponas. Etenim qui oblatam occasionem, dum licet, non arripit, cum volet, idoneam opportunitatem non habebit. Hoc est

lente

lente (ut dicitur) festinare . Ob cuius virtutis præstantiam inter homines à natura regem , velut inter apes ducem , constitutum esse intelligimus , qui honesta , & vtilia melius videre possit , quàm ceteri : ut ipsius quoque lex natura insano regi administrationem reip. ademisse videatur . Constat autem prudentia tum ingenij solertia , & doctrina , tum vario negotiorum usu , & multis rerum experiencijs . Ianum Italiae regem Poëta bifrontem ob prudentiam confinxerunt : quoniam rex (ut Homeri verbis utar) ἀμὰ πρὸς ἄνω , καὶ ὀπίσσω , hoc est , præterita , & futura perspicere debet . Nam qui præteritis futura connectit , is rectè præsentia administrat . Quod propter Pythagoras monebat , duorum præcipue temporum , matutini videlicet , et vespertini , curam esse gerendam . quæ res prudentiam efficit . Sunt autem duo præsertim vitia fugienda , prudentiæ vehemèter inimica , temeritas , & intemperantia : veluti Homerus Palladem Marti , & Veneri semper aduersantem inducit ; quoniam furor mentem erroribus implicat , Venus animi vires debilitat . Idcirco Græci temperantiam à mètis custodia σωφροσύνην appellauerunt . Iam regie dignitatis decus est fortitudo , animi magnitudo , grauitas , patientia , rerum humanarum despicientia . Hæc sunt illa Vulcania arma , quibus Achilles , & Aeneas hostes , nos omnem fortunæ temeritatem , atque impetum superamus . Enimuero eius vitam , quæ in elato loco , & aperto sita est , multis for-

una telis proposita cernimus: quae qui extimescit, angu-
 sti, & parui animi est. Excelsus autē, & robustus
 animus in vtramq; fortunā paratus, quod grauitatis
 maxime propriū est, neq; secūdis rebus effertur, neq;
 aduersis deicitur. Sēper autē pugnare debebit pro
 equitate, et si honestas iusserit, etiā mortē nō sui mo-
 do gratia, verū etiā pro suorū salute oppetere nō du-
 bitabit. In qua cōtēnenda, quia omnium malorū gra-
 uissimū est, praecipua esse dicitur fortitudinis laus. Ma-
 gnitudo animi nihil sordidi vel probat, vel patitur.
 Magnanimus autē is est, qui nō maiora audet, quā
 vires possint sustinere. Tolerātia praesentium malorū
 est patiētia, fouetq; animi robur, ne aut opprimatur
 magnitudine malorū, aut assiduitate perfringatur. Po-
 stremo omnia humana contēnere, et in se ipso omnes
 vite rationes habere, nō autem pendere extrinsecus;
 haec fortitudinis comes est virtus, vel (vt melius di-
 cam) perfectio. At verō tēperantia prudentiae custos,
 pudoris comes, libidinum inimica, voluptatū est mo-
 deratio. Hac nos ipsos superam^{us}, hac cupiditates ra-
 tioni tēperātes reddimus. Quid autem est turpius, aut
 iniquius intemperato rege? Certe intēperātia, quia id
 violat, quod hominibus maxime charū, et sanctū est,
 vrbes saepius euertit, quā inimicorū arma. Troianā
 illud bellū à poētis adeo decātātū, & Graecorū perni-
 ciosissimā diffensionē nō ne vna libido disseminauit?
 Qui vero se temperantem gerit, cum vti contumelia
 possit, hunc omnes suspiciunt, & admirantur.

ya hēnha

temperātia

Nec

Nec quisquam est tam impudens, qui ab eo rem improbam petere audeat, quem temperatum, & in omni se libidini continentem agnoscit. Geret autem se temperantem, si in laboribus seipsum exerceat, nec ab eo, quod honestum est quibuscunque stimulis voluptatum abducatur. Quid de constantia vitæ loquar; quæ in omnibus dictis, & factis inesse debet! sine qua nulla virtus esse potest, nulla laus? Omnis enim turpitudò, contemptio, & ignominia, ab inconstantia roficiscitur.

constantia.

De Virtutibus in communione vitæ

positis, C A P. XVI.

ET quanquam omnes virtutes Regis ad usum communis societatis accommodantur; è quibus nimirum omnes fructum, voluptatemque percipiunt; quedam tamen in priuatis actionibus melius cernuntur, quæcunque ad propriam cuiusque vitæ institutionem pertinent; quedam in administratione reip. & in communione quadam vitæ magis versantur. Quarum præstantissima est iustitia, qua consociationem humanam æquo iure tuetur: quamque æquitas, clementia, liberalitas, quæque sunt generis eiusdem, comitantur. Est autem iustitia suum cuique tribuens virtus, qua efficitur, ut suo quisque iure fruatur. Huius rei gratia ciuitates institutæ, sancitæ leges, creati magistratus. In hanc quasi metam omnes conatus,

iustitia.

natus, studia, actiones eorum, qui remp. administrant, conferenda sunt. Hoc ciuitatis est firmissimum fundamentum, hoc bene iactum esse oportet, hoc rite corroboratum, ne corruant, quæ superstruxeris. Tantaque iustitiæ vis est, ut scelerati homines non possint absque vlla eius particula inter se viuere. Quid, quod non à fortitudine aut temperantia, sed à iustitia viri boni nominantur? Ipsa est quæ aliorum seruens honestati, vilitati, saluti, omnes virtutes, & perfectam vitæ rationem complectitur. Hinc est quod magistratus (ut dicitur) virum ostendit: quoniam in eo iustitiam seruare maximè oportet. Primum igitur videat ut quid alienum sit, quid suum quisque intelligat, & possideat; tum ne cui noceatur, neue in permutationibus rerum ex emptione, & venditione quisquam detrimentum capiat. Adhæc fontibus supplicia, facultates, dignitates, honores studiosis hominibus æquè partiatur. Quæ res efficiet, ut communi vtilitati studiosè, & diligenter seruiatur. Hoc est ius suum unicuique tribuere, si mali pœnas, boni digna præmia consequantur. Et quia sine legibus, quæ tradunt viuendi normam, ciuium vita incerta esset: quoniam ignorarent, quæ fugere, quæ sequi deberent: sapienter eas prescribet, studiosissimeque seruabit. Quibus se ita sentiet addicatum, ut re confirmet, quod verbis impexauerit. Digna quidem vox est maiestati regnantis (aiunt Theodosius, et Valèrianus Imperatores) legibus alligatum se principem profiteris

adeo de authoritate iuris nostra dependet authoritas. Et re vera maius imperio est legibus submittere principatum, & oraculo presentis edicti alijs indicare, quod nobis licere non patimur. Licetque sit rex ipsa lege superior, quoniam illius est author, est tamen hoc inferior, quia ex illius prescripto viuere debet: quando lex nihil aliud est, quam recta ratio utilia imperans, prohibensque contraria. Et cum regibus data sit imperandi potestas. nobis parendi sit iniuncta necessitas: quid est aliud lex, quam (ut inquit Lycophron Sophista) pactum quoddam ciuium inter se cum rege conuenientium? Sine qua quoniam rex praesse non potest, nec illa vim suam, & authoritatem retinere, nisi eius, qui imperat, probetur, & confirmetur exemplo, non gloriosum modo est principem suis legibus parere, verum etiam necessarium.

Zaleucus
sibi unum filium
alterum oculum
erui impo-
uit.

Quamobrem Zaleucus (quid enim multis exemplis opus est?) cum adulterij pœnam sanxisset luminum orbitatem, atque in adulterio filius deprehensus fuisset, ne legis perfringeretur, aut imminueretur authoritas, unum oculum sibi erui, alterum filio imperauit. Præterea quid aliud rex est, quam lex quaedam loquens? & lex nihil aliud est, quam rex quidam sanctus, & aternus sine ulla animi perturbatione honesta decernens, & vera diiudicās. Itaque Iustitia Hesiodo est virgo incorrupta, & veneranda: unde reges αἰδοῖός vocauerunt. Et Ioui Fas ipsum asidere proditum est, non (ut peruersè Anaxar-

thus Alexandro suadebat) quòd omnia, sed quòd }
 iusta dumtaxat regi licerent. Aiuntque sine iustitia }
 ne Iouem quidem ipsum posse regnare: Ipsa est iure
 sceptrum regium, quod hominibus ab Ioue traditum
 canit Homerus: ipsa est in ciuitate, vt sol in caelo,
 pulcherrimum Dei simulachrum: ipsa denique mè-
 sura quaedam est, et ceterè metiens quantum quisque re-
 gum praeceat. Ideoque praedicantibus regem Per-
 saum magnum esse, Et quid, Agesilaus inquit, ille
 maior me est, nisi iustior sit? Huius virtutis comes,
 et socia est aequitas, quae ex praescriptorationis ius de-
 finit, vbi leges silent, et ambiguitatem aliquam ha-
 bent. Nam fieri nequit, vt leges vniuersas actiones,
 et ea omnia, quae quamque actionem circumstant,
 verbis complectantur. Saepe etiam verba legis in
 diuersas sententias deduci possunt. Et cum multae
 illae sint, et rerum humanarum incerti euentus, ad-
 uersari quandoque inter se videntur, quod casu fie-
 ri, non de industria putandum est. In his igitur locis
 adhibenda est aequitas, sic dicta, quòd omnia reuocet
 ad aequalitatem: dicta etiam ob facilitatem boni-
 tas. Nam in mitiorem partem iura interpretatur,
 et de summo illo iure, quòd summa iniuria dicitur,
 multum remittit; Lesbiae regulae assimilata, quae facili-
 ter in omnem partem flectebatur. Neque solum durioribus
 cedit, cum opus est, verum etià resistit; vt ad aequa-
 litatem omnia deducat. nec modo leuius punit, quàm
 leges praescribunt, sed interdum etiam pro re grauius.

Clementia
 Hoc est legē in meliōrē partē interpretari. Id enim melius est quod rationi magis est cōsentaneū. At verò Clemētia, quæ lenis est in cōstituendis pœnis animaduersio, plus de iure, quàm æquitas remittit; principū peculiaris virtus, in quorum potestate, & arbitrio leges posita sunt. Est autem ea opus cū semper, tum præsertim in seuo, & ancipiti tempore, tū cū afflictis, abiectisque hominibus, maximè verò cum plus habet res imprudentiæ, quàm improbitatis, neq; lenitas est vlli nocitura, nec alios ad peccandum inuitatura. Hæc sanè vna virtus est heroica; quam in quo inesse sentimus, illum tanquam caelestem spiritum obseruamus, & colimus. Huius contraria est, vt honestatis vitium, crudelitas bestiarum, & tyrannorum propria. Illa in excelsō, & magno animo inest; hæc in abiecto, humili, & belluino pectore dominatur, humane nature maximè inimica. Qui autem in puniendo est clemens, humanus, & modestus, non potest non liberalis esse, non beneficys homines afficere, non gratia ciues deuincire. Eadem est benignitas, & beneficentia: quæ conciliat sibi beneuolentiã aliorum, et ex inimicis amicos, ex alienis suos, ex infidis, fidos facit, in Alexandro singularis, & admirabilis: qui quò latius propagabat imperium, eò amplius liberalitatis terminos dilatabat. Est autem liberalitatis munus, vel opera, vel pecunia subuenire sine calliditate indigentibus: versaturque in dando, & referendo gratiam. Nunquam verò decet regem

ab alijs vinci liberalitate. Sed videndum, vt pro dignitate vnicique tribuatur. Tum enim ad virtutem alij excitabuntur, cum intelligent benefacta non iacere, sed virtutibus sua premia dari. Mox caueat, ne cui obsit munificentia. Nam alterius bonis alteriū ditare, contra equi, et honesti rationem est. Nec quēquam adeò ditet, cuius sit obsutura potentia. Postremo nec reip. damnosa sit, nec maior facultatibus liberalitas, sed prudens, & moderata, ne pecunie in vsus minimè necessarios impēdantur. Intelligere autem bene regē oportet, administratorem se esse reip. non dominum: tantumque sua esse, quæ ipsi à rep. in vsum vite concessa fuerunt. Idem modus, eademque ratio in Magnificencia est seruanda: quæ circa maiores sumptus, & apparatus versatur, regem maxime decens ad celebre quoddam lumen, & maiestatem imperij. At vero vna pestis est maxima, quæ liberalitatem inficit largitione, ambitio: quæ in epulis, ludis, venationibus ad captandam popularem quandam, & inanem auram pecunias profundit. Quarum quidem fructus non est profusione, sed honestate, & vtilitate finiendus. Alterum est, quod contra stat vitium, Auaritia, omnis iniustitiæ parens: quæ in admiratione diuitiarum occupata, nihil præclarum fieri sinit, atque ita hominū mētes obstringit, vt quid honestum, quid laudabile sit, intueri non possint, maxima superiorum labes. De seruanda verò fide, fugienda perfidia, negligenda versutia, atque his simi-

Auaritia

fides.

libus quid opus est dicere? quæ omnem vitæ conso-
 ciationem, & communionem tollunt, vel in quouis
 homine digna reprehensione, & vituperatione non
 modica? Sed quid pluribus verbis opus est? ad phi-
 losophorum libros, qui plura. Neque enim proposi-
 tum est nobis omnem virtutem copiose persequi, sed
 eas breuiter attingere, quarum actione rex vitam
 suam, & ciuium mores ad bene, beateque viuendū
 informet. qui vt dignitate cæteris, sic etiam virtu-
 sibus debet antecellere.

De Beneuolentia, Amicitia, & Assen-
 tatione, C A P. XVII.

HÆC vna via est ad laudem, ad honorem, ad
 dignitatem; via, inquam, moderationis atq; virtu-
 tis. Cuius fama Indos, & Scythas, & ne auditu qui-
 dem vnquam cognitos populos Augustus in amici-
 tiam suam, & populi Ro. pellexit. Neque enim fie-
 ri potest, in quo facilitas morum, comitas, mansuetu-
 do, benignitas, liberalitas, clementia, æquitas, conti-
 nentia insit, qui beneficijs sibi homines deuincit, qui
 benefacta extollit, qui letatur secundis aliorum re-
 bus, & tristatur aduersis; qui comes est, & socius in
 laboribus, in periculis adiutor, in malis consolator, in
 quo nulla turpitudinis macula, nulla auaritiæ suspitio,
 null: crudelitatis insignia, nulla ingrati animi nota
 cernatur, vt non is colatur, & diligatur à suis, non
 probetur à sapientibus, non laudetur à bonis viris,

non omnibus charus, & iucundus sit Nam honores, qui à multitudine principibus habentur, viles, et leues puto, & metu magis, quàm ex animo tributos. Quoniam ubi fortunæ cursus immutari incipit; illius quoque studia commutantur. Vnus Demetrius exemplo satis esse poterit: quem Athenienses cum antea in numerum Deorum retulissent, ut in acie deuictus est, turpissime eiecerunt. Dum videri Diis volunt, neque humanam conditionem meminerunt, sed aras, & templa affectant, & tonitrua Iouis, ac fulmina imitantur, & malunt inuicti, & potentis, quàm iusti, et continentis, cognomen habere; sunt ipsis belluis inferiores. Non est quidem felix Deus solo vitæ spatio, sed quia virtutis est princeps; atque hoc est numen: timeturque à nobis, quia fortis, & potens est; quia vero bonus, clemens, & mitis, amatur. Quid autem regi melius? quid optabilius? quid aptius esse potest ad opes tenendas, ad tuendam dignitatem, ad conservandam salutem, quàm ob virtutem amari? Quid contra peius? quid detestabilius? quid iniquius, quàm timeri? Latrones montes, & saxa incolunt, & altissimis rupibus se, vitamque suam tuentur: Regi autem nequit ullum presidium maius esse charitate, gratia, & benevolentia civium. Ista sunt adamantina vincula, non metus, non satellites, non arma: quæ licet illis molliora sint, sunt tamen ad perpetuitatem regni aptiora. Nam quis fides, aut quæ fiducia esse potest, ubi nullus est amor?

aut quæ tuta vita, & secura voluptas cum sollicitudine, & timore? Declarant miserabiles tyrannorum exitus, quantum hominum odia valeant ad pestem. Nam qui ab omnibus timeri vult, omnes sibi contrarios, & infensos reddit. qui verò omnibus infestus est, in sui perniciem omnium animos coniungit. Absit metus, retineatur charitas; omnes te summo studio complectentur: non secus atque apes ducem suum vel intus sedentem, vel è cellis egredientem simul omnes comitantur, nec vlla vnquam iniussa discedit. Cyro, in acie confosso equo, ad defendendum eius salutem, omnes vno animo, et voce còcurrerunt. Quid tum actum putas, si odissent? Atque ijdem Perse hominem adunco naso diligunt, & pulchrum iudicant; quoniam huiusmodi nasum Cyrus habuit. Agrigenti ceruleo colore, quòd eo Phalaris satellites vsq; essent, quenquam vii prohibuerunt. Canes quidem nodis constringuntur, equi freno coërcentur; hominè verò homini benevolentie fides, et probitatis opinio charum facit. Non arce, non stipatoribus, non satellitibus indiget, non venena, non dolos, non gladios formidat, quem civium benevolentia custodit. Neque in parandis thesauris, & sub terra defodiendis sollicitus erit, qui in amantibus sui civibus opes omnes Cyri exemplo collocavit. Sola igitur, & optima principis, & diuturnitatis custos est, civium ex virtute generata benevolentia, aureum, & caeleste sceptrum: quam si demas, omni regem praesidio denudaveris.

Quam-

Quamobrem hominis benevolentia, semper optimè
 regni fundamentum, firmissimumque propugnaculū
 Antigono visum est. Philippus etiam monentibus
 amicis, ut quas vrbes Græciæ deuinceret, præsi-
 dijs muniret, Malo, inquit, diu benignus, quàm diu domi-
 nus appellari. Et quanquam benevolentia, & chari-
 tas omnium exoptanda est, præsertim eorum, quibus
 corporis salus, et custodia commendatur; nõ omnium
 tamen expetenda est consuetudo: sed magna cura
 opus in deligendis amicis, ne minus digni, aut impro-
 bi, moribusue dissimiles familiaritate tibi socientur;
 verùm boni, iucundi, & amantes tui. Cleomenes mi-
 nus laudatur, quòd capiens magistratū amicis omnes
 à se alienauerit, ne rem aliquam iniustam au-
 dierit; & Themistocles, quòd ex amicorum cupidita-
 te reimp. frequenter administrauerit. Verùm decet
 neque amicorum cupiditatibus reimp. permittere, ne-
 que illorum operam excludere: qui tanquam animo
 prædita instrumenta sunt ad gubernandam reimp.
 peropportuna; cum per nos via præstare nullo modo
 possimus. Sed eligendi sunt sapientes viri, quorum
 cum integritate vitæ copulata est solertia animi, &
 prudentia, multarumque rerum vsus longa etate cõ-
 paratus; ut illorum consilijs & authoritati tuè in-
 nitaris. Agamemnon à Dijs optat decem Nestores:
 quorum prudentia breui Troiam excindendam putat.
 Et Helius Lampridius Alexandrū Seuerū omnium

imperatorum optimum idcirco fuisse inquit, quòd
 Ulpiani sapientissimi, & doctissimi viri consilijs v-
 teretur. Præstatque reip. multorum iudicio regens
 esse malum, quàm consiliarios, quoniam ipsi regis
 animum tractant. Quorum prudentia cum mens re-
 gis confirmetur, nec libertas loquendi diminuenda il-
 lis est, & vita facultatibus, honoribus, dignitatibus
 amplificanda. Neque verò se quisquam hominum
 ita sapientem putet, ut aliorum consilia parui pēdat:
 quando Iupiter aliorum Deorum mentem consulit,
 qui sapientissimus est, & mūda & q̄nta ei dōs. et
 ipsam mentem humanam multa effugiunt. Præterea
 ducum amicitia diligenda est, qui ciuitatem armorū
 peritia, & virtute possunt defendere. Admittendi
 sunt etiam in familiaritatem illi, quorum honesta
 consuetudine delictis: qui res secundas conuictu
 incundiores efficiant, aduersas consolando leniores.
 Nulla quidem vita sine amicitia esse potest: neque
 est vlla beatior, quàm bonorum fida, suauisque con-
 iunctio. Sed ut in eligendis amicis prudens, & cau-
 tus, sic in conseruandis moderatus, & constans esse
 debes: nec cuiusquam te studio ita astrictum osten-
 dere, quemadmodum Tiberius Cesar Seriani, ut vel
 nim. : cum aliquo familiaritate aliorum à te animos
 alien. ; vel odium excites indignitate persona. Cete-
 rum adhibenda cautio est, ne obrepat assentatio, pec-
 catorum adiutrix, regum peculiare, & perpetuum
 malum: qui dum ea, quæ faciunt, præclara videri

volunt ob ingenitum cuique amorem sui, adulari se facile sinunt; & dum tales se esse putant, ut iure laudandi sint, blanditijs irretiuntur. Quare adumbrata veritate multis vitijs implicantur. Adulatores sunt, qui in omnem se vultum. & figuram conuertunt, & Chamaleontis more omnes colores induunt. At veri amici, non ad voluptatem loquuntur, sed ad utilitatem honestatis, veritatisque cultores. Illi semper augent, quae hi, quos adulant, magna esse volunt, & contraria deprimunt, isti non omnia laudant, quin etiam malefacta reprehendunt; nec assentatione benevolentiam, sed virtute conciliant. Illi adulando in suam utilitatem omnia conuertunt; isti amicorum commodis, & honestati prospiciunt. Proinde Plato aiebat nullum esse principi genus praediorum maius, quam eorum, qui cauponari nescirent, coniunctionem. Is vero sui iuris esse desinit, qui assentatoribus aures patefacit. non enim rationem vitae positam habet in recte factorum conscientia, sed suspensam ex illorum sermonibus; quorum blanditijs delectatur. Qua re quid dici potest, aut cogitari turpius, atque perniciosius? Facile autem animus languens, nec virtute corroboratus sibi assentitur, & aliorum adulatione corrumpitur.

De Magistratibus mandandis

CAP. XVIII.

QVANDO autem humanæ vitæ conditio ita fert, ut omnibus in rebus interesse non possis, neque omnia præ rerum varietate, & multitudine obire, aliorum te fidem, & operam tui muneris vicariam supponere oportet, quorum integritati fidas, & beneuolentiæ. Equidem si per nos possemus omnia præstare, fortasse aliorum adiumenta non quereremus: nunc autem quia humana fragilitas tantam molem non suffert, amicorum assiduis opus est. Immo Deus ipse maximus cura possit, non tamen omnia per se agit, sed natura tanquam ministra, & rerum causis quæ primam sequuntur, tanquam pedissequis ad conseruandum vniuersitatis ordinem vititur. Quare Mosi ab Iehro dictum est, Prouide viros potentes, & timentes Deum; in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiã; & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac denarios, qui iudicent populum. Non autem eliges sorte, quibus magistraturæ demandes, sed quos virtutis studiosos, & vsu rerum peritos agnoueris. Neque enim, ut fors obtulit ita nauis gubernacula cuique traduntur. Quãobrem magnam curam, & diligentiam pones in cognoscendo, & eligendo sanos homines, et prudentes, qui publicis honoribus digni sint. Non venalem

magi-

magistratum propones; ne quæstui resp. sit. Nam qui magistratum emit, ius pretio, non aequitate definit. Habet enim quæstui remp. cogiturque ferre, qui vendit, sæpe multa peccata emptoris. Quod Senece ille Septimius execratus adeo est. Non præmij vice, simile hoc quippe est venditioni, & in suam utilitatem administrationem rerum transfert, qui præmio sibi deberi magistratum intelligit; non gratia, non asinitate, & cognatione aliqua illum conferes. Superbit enim plerunque insolentius, in quem ita confertur. Et sanè cuiusque commodo, & gratiæ communis utilitas, & salus anteponenda est, neque ad unius utilitatem commoda reip. conuertenda sunt. Non improbis committes, ne se Themis obducas: non humiles creabis, qui contemptui sint, quique aut potentie alicuius metu iniusti, aut e. c. animi imbecillitate insolentes euadant. Vnde illud,

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Non postremo egentibus imperia decernes; ut ne indigentia compulsus potius vite necessitati, quam reip. utilitati prospicere cogantur, & in auaritiæ pestem incidant reip. perniciosissimam. At forte inquires, si diuitibus imperia dederis, in alijs pecuniarum situm, & gloriæ cupiditatem excitaueris. Optimos aio semper eligendos: diuites autem in magistratu pauperibus preferendos censeo; quoniam magis absunt à studio pecuniarum, & officium suum honestius exercere possunt. In Calcedonia laudatum est
illud

illud institutum; ne indigentes magistratum gererent: verum si boni ciues essent, eorum egestati publicè subueniretur. Qui autem paruo cõtenti sunt, & omnem cupiditatem ex animo resecarunt, quales Curium, Fabricium, Phocionem ferunt; hos optimos habe, quibus magistratus, et imperia demandentur. Quin etiam Platonis precepto nec ambientibus, nec cupientibus, sed nolentibus, ac sepe recusantibus honores tribuito. Illud autem ingentis prudentiæ est, ut fert cuiusque natura, ita magistratus discernere, non agrestibus, & duris hominibus, sed ciuilibus, et humanis, tum sapientibus, & iustis viris, quos canibus in ouium custodia positis contra lupos assimilant; prouincias, fortibus, & prudentibus bella; hominibus frugi, & diligentibus, atque industrijs thesauros; eis, qui ab omni auaritiæ, & libidinis suspitione absunt, iudicia; constantibus verò, & ingenij minimè varij arces, & præsidia concedes. Ita pro cuiusque ingenio res ciuiles, & bellicas ritè commiseris. ita omnes ad virtutem inflammabuntur; ubi studia virtutis colentur. Illud recte monent sapientissimi homines, ut singuli singulos magistratus gerant, ne animus in res plures, & varias distractus sibi ipse dissideat, nec muneribus sufficere pacto ullo possit. Iam Socrates, & Plato magistratus submutari nolunt: quoniam est rerum magistra experientia: forte etiam quia ieiunæ muscæ acrius sugunt, quàm saturæ. At quoniam similitates inde pro-

creari possent, & reddi, qui praesunt, insolentiores; alij putant magistratuum aliquam interdum esse faciendam submutationem: atque è singulis ordinibus adoptandos esse, qui munia civitatis, et honores, quantum patitur cuiusque natura, & conditio, cerio, & definito tempore participant. Nam si alios viros bonos cohonestari quoque decet, & bonorum studiorum emulationem accendi, profecto aliqua honorum vicissitudo esse debet. Tum quis non videt eos, qui nullam administratæ reip. rationem à se reposcendam cognoscunt, arrogantius, grauiusque se gerere? Cuius rei gratia Tiberius Caesar, ab omnibus reprehensus fuit; & Ro. imperium ingentia tum damna perpersum est. Queri à quibusdam video, vtilius ne reip. sit magistratus ab indigenis administrari, an ab externis. Equidem si de indigenarum amore, fide, constantia, vitæ integritate, & prudentia, minimum dubitarem, eorum opera, & industria lubentius semper ipse vterer, quàm alienigenarum: ne quam forte iustam odiorum, & offensionis ansam civibus darem, quòd potius alienis fidere, quàm meis viderer. Quid verò de his loquar, qui domi viuunt, vt in aula modeste, decenter, verecunde versentur? cum eorum mores, & studia vitam regis declarent? Domesticus autem res summatim complectatur, vt maius otium habeat ad res gerendas. sic regis cura longius procedet; sic ille pluribus oculis cernens;

& au-

Et auribus audiens, tanquam numē diuinum omnia intelliget, omnia circumspiciet: Et quando corpore nequit, animo, Et cogitatione omnibus in rebus interesse poterit. Hoc ciuili prudentiæ præclarissimum opus est: huc amicorū tractatio nos deflexit; quoniam regi, opera, Et fides illorum quàm maximo vsui est.

De Virtute bellica,

CAP. XIX.

HÆC quæ tradita sunt regendarum ciuitatum præcepta, fortasse fuerint ad conseruandam hominum eodem iure vtentium communionem satis: si nullum esset ab alijs gentibus periculum, nullæ fierēt inimicorum insidiæ. At quoniam (vt ille inquit Poëta)

Rupere foedus impius lucri furor,
Et ira præceps, quæque succensas agit
Libido mentes; venit imperij sitis
Cruenta, factus præda maiori minor;

Cuius mali principium Nino primo Assyriorum regi Iustinus, Nembro: c Iosephus adscribit. in hoc etiam regis cura versari debet, vt ciuitatem ab hostium incurSIONIBUS, Et bellis tueatur. Primum igitur muniet vrbes muris, cataractis, fossis: ad quæ si nature præsidia accesserint, erit locus quàm munitissimus. Caterum virtus hominum optima, Et pulcherrima defensio, et tutissimum ciuitatis est propugnaculum.

gnaculum. Quare iuuenum delectus habendus est, qui ad bellum idonei sint. Sunt autem idonei qui corpore firmiores sunt ad tolerandum famem, sitim, aestum, algorem, & animo audentiores, qui mortem fortius contemnent, hostes confidentius inuadant. Sed & disciplina militari imbuendi sunt; quae magnitudinem animi, & fortitudinem experientia reddit audentio rem. Quis enim id unquam aggredi tentauit, quod non confidit posse praestare? non sane multitudine militum, non viribus, non robore, non dolis, non astu; quibus rebus alijs nationes inferiores erant; sed bellicis artibus, & industria Romani gentes omnes, & populos deuicerunt. Volo autem militem, quem Galba non emere, sed eligere solebat, quemque non a fortuna, sed a viribus Caesar probabat, primum rerum bellicarum scientia, & exercitatione peritum, qui & moderationem seruet in castris, & consilijs prodesse possit in dimicatione: continentem praeterea, non dissolutum luxu, sed viuendi norma castigatum, ad iniurias inferendas timidum, ad laudes ac lipiscendas promptum, erga socios humanum, aduersus hostem ferocem, ardentem in pugnando, acerrimum, strenuum, agilemque in ambiendo, declinando, se viendo, oculis, fronte, vultu terribilem, verbisque minacem, nec minus vocis sono formidabilem, quam gladio. Splendor vero, & armorum pulchritudo vires addit, & mentem exacuit: quemadmodum Hemeri is nouis ante oculos, & lucer tibus positus ar

mis Achillem aestuantem animis, & ad ea procius tractanda ardentem effecit. Verumtamen in milite obedientiam potissimè desidero; quæ rerum ordinem conseruat. Et facinus Chrysante Cyrus adeo probauit, qui statim ac sensit in pugna receptui cani, manuum ab hoste retraxit, quem alioquin ictu confodisset. Quanta etiam militaris disciplinæ fuit apud Romanos obseruantia, vt ne liceret quidem hostem lacerare aut ferire, qui sacramento non esset astrictus? Dictum est de milite, cum potius de imperatore dicendum esset; è cuius prudentia, & virtute omnis victoria dependet: qui neque iuuenibus manu, nec prudentia senibus inferior esse debet ad hostiũ cõsilia præripiendum, et addendum præsentia militibus animos, et demendum virtute ignauiam: qualis ab Homero describitur Agamemnon,

Βασιλεὺς ἀγαθὸς πατρός τ' ἀχαιῆς.

Vnde Chabrias dicere solebat, Formidabiliorem exercitum Ceruorum esse duce Leone, quàm Leonum Ceruo duce. Et Agesilaus dictitabat solos prudētes, & fortes duces, esse victoriæ authores. Prudentis autem ducis est prius consilio, quàm armis rem experiri; & finem magis, quàm principium spectare: cuius turpissimam vocem esse aiebat Iphicrates, Nō expectaram. Atque vt bene sentire, sic etiam prudenter occultare suas artes, & hostium consilia diligenter inquirere, ac callidè præripere, sapientissimi ducis munus est. Quam virtutē in Imperatore sum-

man

nam esse Themistocles assererat. Certè quæ viribus superari non possunt, ingenio perficiuntur. Quòd si prudentia victoriam consequimur, fugienda est temeritas, quæ à ratione plurimùm dissidet. Sanè temerarij, & audaces homines hostibus patent, et omnibus fortune telis expositi, se tandem, et sua perdunt, cum inconsulto semper rerum summam in discrimen omne conijciant. Dolo autem vincere hostes, laudabile nec ne sit, viderint alij. Equidem si de laude ipse certarem, dolis minus vterer: cum de vita & salute dimicatur, dicerem cum Poëta, Dolus, an virtus quis in hoste requirat? Agesilaus ille Lacedæmonius sentiebat fœdus frangere, impium esse; hostem verò dolo vincere, non iustum modò, sed etiam honestum & iucundum. Ac quoniam hostes etiam ipsi dolis innituntur, malo nodo (vt est in proverbio) malus cuneus. Et quidem ista duo militis officia esse putantur, aut insidias facere, aut manu cum hoste conflagere. Tum scientia, & exercitatio rerum bellicarum imperatori utilis est; quæ vires auget, virtutemque confirmat. Et militaris quidem disciplina vsu maximè continetur. Postremò obedientia dissolutum exercitum coercere est illi prope necessarium: sine qua omnia perturbata, & confusa cernuntur. Quas ob res Imperator militi debet ipso hoste formidabilior esse. In obeûdis autem expeditionibus vnus Cesaris exemplo, & cautus, & audens esto: vt Possidonius scribit Fabium maximum scutum:

Marcellum vero ensem à Romanis appellatum fuisse. Nam Fabij tolerantia, & tutè pugnandi mor: promptitudini, & audaciæ Marcelli commixta Romanæ reip. iam ferè Punicis armis oppressæ incolumitatem, & salutem attulit. In mouendis autem castris omnia circumspiciat, ne aut insidijs circumueniatur, aut repentina vi aliqua opprimatur: procedatque ita totius corpus exercitus, ut primo medium agmen, medio postremum succurrere, & inuicem sibi omnia ferre opem, & auxilium possint. In ponendis castris eligendus tutus, & aquis, & com meatu oportunus locus. In exercitu curet valetudinem, & com meatum. Nam hæc ipsa sunt, fames inquam, & intemperies calii duo maxima & grauiissima bella. Quod vero eius fieri poterit, Martè arceat à finibus imperij sui: sin hostis intra fines irruperit, illum præcipuè fame, & industria debellare concietur. Et maioris quidem virtutis est hostem fame, quàm armis opprimere. Si viribus superior est, ad pugnandum hostem compellat; sin vero inferior, hoc caueat, ne cogatur. Nec militum multitudo querenda est, quæ semper exposita est ad cadem, sed virtus, quæ vna victoriam acquirit. Dubium prælium nunquam tuo iudicio facias, ne temeritatis nomen habeas, & audaciæ: Suscipiendum verò cum maior emolumentum spes quàm damni metus ostenditur. Nam qui minima commoda non minimo discrimine sectatur, is Augusto hamo aureo piscari videtur. Sed

& Cicero fortunatum imperatorem desiderat: Nos fortunam nihil aliud esse ducimus, quàm celestem, & diuinam voluntatem: in qua omnium bellorum exitus positi sunt. Non autem ira, non odio, non ambitione, non auaritia, non cupiditate vlla (& quidē iniquis hominibus ipsemet Deus acriter aduersatur) sed iustis, & prope necessarijs de causis ad communem reip. dignitatem, & salutem bella suscipiat. Mox quorum multitudinem militum, & vim suspicit, eos sibi fœderibus, beneficijs, tributis deuincire studeat, vel ipsorū vires, et audaciam reprimere ingenij sui excellētia, & virtutis, & artis admiratione, suorūque ducum, & militum industria, ac disciplina; tum populorum suorū charitate, vicinorum beneuolentia, subsidiorum spe conatus aduersariorū retardare. Præterea quæ per alios bella administrare potest; nam multis sepe aliorum ductu feliciter bella cesserunt; non omnibus se periculis obijciat, ne in discrimen quoque reipub. adducat; ni cū aliquod periculum grauius impenderit, tunc enim pro rep. cuius tuendæ causa rex electus est, mortē magno, & lubente animo contemnet. Ac profecto optimum augurium est mori pro patria. Adhæc præsentia regis licentia militaris coërcetur, & colitur disciplina sanctius, inflammanturque omnes vehementius ad gloriam rege ipso cuiusque virtutis, & ignauitæ teste, ac iudice. Præcipuum vero studium in bellis gerēdis pecuniarū esse debet, qui sunt omnium

rerum nerui, et Christus regem eum vocat insipientem, qui non prius animo vires suas expenderit, quam bellū gerat. In quo gerendo par est vt suis, & ciuitatis opibus vtatur, cuius nimirum gratia illud facit. Atque opportunè paranda sunt arma, stipendia, commeatus, quæque ad bellum pertinent. Sed de parandis pecuniis, de oppidorum munitione, de cogendis exercendisque militibus, ac de vniuersa belli ratione consulendi sunt prudentes, & his artibus imbuti, & exercitati homines: ne mihi obiiciatur, quod Phormioni Annibal de re bellica disputanti exprobrauit. Liceat tamen monere, vt quoniam incerti sunt exitus bellorum, et Mars ipse communis, in aduersa fortuna inuictum se præbeat, in secunda benignum; ni grauior ex reip. causa adhibenda sit in victos animaduersio. Nam crudelitas Barbarorum est; clementia cum semper videndum, tum maxime cum supplicibus hominibus, & his, qui longius absunt à culpa. Et de virtute bellica pluribus fortè disseruimus, quàm instituti ratio postulasset. Eò autem dicta sunt, non vt ciuitas fiat belli officina, quæ admodum Xenophon Ephesum; aut Martis palastra, vt Epaminondas Beotiam appellare solebat; neque, vt ait Pindarus, templum Martis; sed vt belli pericula repellantur; & in pace, cuius maxime causa bella suscipiuntur, & in tranquilla libertate viuatur. Quod si exercere suos velit, ne desidia corrumpantur, & imperij fines propagare cupiat; quid

melius? quid optabilius? quid gloriosius, quàm cōtra Christiani nominis hostes belligerando Christianam fidem, & religionem dilatare? Quem vnum bellorum finem semper optimi, & sanctissimi imperatores sibi in animo proposuerūt. Illud verò consiliū Philopemenis Achaeorū ducis: Vt cogitet in bello de pace, in pace de bello, sapienti cuique semper probatū fuit.

Quæ ciuitati potior virtus sit, Iustitia,
an bellica Fortitudo. CAP. XX.

EX duabus causis, quibus instituti sunt reges, emanarunt officia duo: alterū est, quo ius suum vnicuiq; distribuerēt; alterum, quo ciuitates ab hostilibus armis tutarētur. Vtra verò potior ciuitati virtus sit, Iustitia ne ciuilis, an bellica fortitudo; quæri volet à plerisque. Sed Agesilaus ille magnus respondebit, nihil opus esse fortitudine, vbi iustitia colitur. Nam quid opus est armis, vbi nulla iniuria est? At fortitudo sine iustitia temeritatem quandam, & audaciam, vel (vt verius dicā) belluarum propriā immanitatē imitatur. Quid? non pacis gratia bellū fit? Nā idcirco suscipitur, vt in pace sine iniuria viuatur. Quod autē extremū est, cuiusque gratia reliqua fiunt, & quo vniuersa referuntur, tanquā finis, qui per se ipse expetitur, optimum, & summū bonū est. Quis pacem, hoc est, tranquillam libertatē non exoptet? quæ latitiam, otium, quietē, & omnium bonorū copiam, & vbertatem affert? Quis non contrā bellum oderit?

ex quo hominum, facultatum, tectorum, agrorum, urbium, cædes, rapina, incendia, depopulationes, & excidia oriuntur? Ad hæc bella non sunt semper necessaria: pax vero semper: ut non tam bellorum causa, quam æquitatis, & pacis creati reges videantur. Idcirco sapientissimus poetarum Homerus non bellatores illos vocat, sed ius dicentes,

ὄϊτα θεῖος αὐτὸς δ' ἰδὸς ἐῖς πόλιτα.

Et discipulum Iouis non ferocem, aut immanem, sed iustissimum regem appellavit. Tyrannus sane (ut inquit Timotheus) Mars est: iustitia vero civitatis fundamentum. Cuius opus est illa, quæ est omnium regina, Lex. Nec aliunde nomen regis deducitur, quam à prudentia, & iustitia: quibus præcipue virtutibus humana societas conservatur. Nec est quod obijciant imperium fortitudine dilatarì: qua etiam prædicant Ro. remp. in tantum fastigium excessisse. Quid enim prodest ditionis iur & longius explicare, nec tueri posse, quod partum t. ? Ac illius sane rei bonam partem sibi vendicat fortuna: hoc verò totum est prudentiæ, atque iustitiæ. Atqui actiones hominis, ex solo virtutis usu, & ratione laudantur. Ideoque non minus regium esse ducunt conservare, quam propagare imperium. Et Theopompus cum regie potestati Ephoros adiunxisset, quorù consilio res civiles administrarētur, conquerenti uxori quoddam diminutū regnum liberis relinqueret: Immo, inquit, eo maius, quo firminus. De Romanis autem quid di-

cam, nisi diuino consilio factum esse, vt in illorum potestatem, qui ceteris nationibus pietate, religione, clementia, liberalitate, & morum grauitate praeferrent, vniuersus orbis ad communem pacem, & quietem redigeretur: quo tempore Dei filius, author pacis, dominus noster IESVS Christus ex homine nasci debebat! Sed hoc idem imperium nobis exemplo est neglectae iustitiae: quod intestinis odijs euersum fuit. Vnde legimus in sacris libris, Melior est sapientia, quam arma bellica. Et (si qua fides Poëtarum incrementis adhibenda est) grauissimum Deorum hac de re iudicium fertur: qui Neptuni equo ad bellum apto Palladis oliuam ad tuendam hominum societatem inuentam pretulerunt. Quam Deam urbium praesidem, & custodem summis honoribus, atque ceremonijs semper veteres illae gentes coluere.

De felici statu Regni, & praemio

Regis, CAP. XXI.

HAC ratione, quam è sapientissimorum hominum monimentis collegimus, si regni gubernacula tractentur, non dubito quin prisca illa poëtarum Saturnia regna reditura sint in nostrum aeuum. Etenim Saturni temporibus fama est nullum auaritiae, nulli improbitati locum inter homines fuisse; sed fidem, virginemque iustitiam inter mortales ob integritatem morum uersari solitam esse. quibus inde cor-

ruptis, & ciuitatibus omni scelere scædatis ex humana consuetudine, tanquam è cæno se illa eripiens, ad celos, vnde profecta fuerat, reuersa est. Vbi vereor ne etiamnum sedeat in obliquo illo signorum circulo inter Leonem, & Libram collocata. Eundemq; Saturnum, quia frugum inuentor, & agriculturæ author fuit, cuius nimirum insigne falx est; felicitatis Deum effecerunt; eique sacrarunt adem pecuniæ publicæ, quoniam fructuum copia, & venditio pecuniam gignit. Quare tum temporis quòd vnusquisque suo iure fruere, & sine dolis, sine honorum ambitione, sine diuitiarum cupiditate agrorum culturæ operam daret, non iniuria fabulantur tellurem ipsam sponte omnia à τὰ ἀπτα, καὶ ἀνύποτα produxisse. Credendum quoque est, diuinam tum bonitatem proborum hominum conatibus præsentem, omnes euentus rerum prosperos illis reddidisse. Itaq; à præstantissimo, & pretiosissimo metallo aurea illa tempora vocauerunt. At fortasse aliquis scire cupiet quodnam Regi præmium, & quæ laborum merces proposita sit. Nemo enim militat (vt dictum est antè) suis stipendiis. Tributa aiunt nonnulli pro mercede regibus conferris, quibus vitæ suæ necessitatibus subuenire possint, vrbesque defendere. Sed hoc præmium tantis laboribus non est certè par. Aristoteles putat Regi nullam aliam mercedem laborum desiderandam esse præter laudis, & gloriæ. Magnus est enim gloriæ stimulus ad virtutem: &

qui

qui rem aliam præter hanc querit, fit iniquus tyrannus. Gloriam verò intellige non fucatam, et fictam; sed solidam, & veram, quæ virtutem, & honestatē comitatur. Ea est cōsentiēs honorū laus, populi benevolentia, omnium fides, & admiratio excellentem quandam virtutem suspicientium. Quæ gloria qui alitur princeps, non potest non honesta velle, & sequi. Verùm ista merces videtur ex hominū suspensa opinionibus, nec diuturna. Et Christiani principes, qui se in aliam vitam generatos intelligunt, nec in opibus, nec in honoribus, nec indignitatibus, nec in ipsa quidē humana gloria, sed in cælesti beatitudine spem ponunt laborū, & præmiorū suorum. Quam mercedē à Deo, cuius in terris vicarij, & ministri sunt, post animæ à corpore dissolutionē sperāt, in cælis sempiterno ævo fruituri. Quòd si maiori virtuti maius præmium debetur, præstantioris certè animi opus est alios bene regere, quàm se ipsum. Et si Deo nihil est in terris acceptius, quàm hominum cætus, et cōcilia; quibus, obsecro, maiora præmia dabuntur in cælis, ubi diuersæ pro cuiusque meritis, et dignitate sunt distributæ sedes, quàm his, qui populos iuste rexerint? ut grauiora quoque supplicia de illis sumentur, qui ciuitates male gubernauerint. Hoc veluti per somnium vidit antiquitas, quæ ciuitatū rectores in cōcilio Deorum collocauit, adhuc cum cælestibus res humanas administrātes. Ferturq; Iouis arcanis Minos admisus: & Æacus apud inferos hominū vitas in dicare.

Præ-

Præcipue verò Hesiodus unus è Deorum antiquis genealogis cum Dÿs reges enumerat: & regendaris quoque urbium officia illis attribuit.

Τοὶ μὲν δ' αἰμονέες εἰσι διὸς μεγάλου διαβουλίας,
Ἐδλοὶ, ἐπιχθόνιο φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Οἶρα φυλάσσουσι τε δίκας, καὶ σθένεα ἔργα.

Ἡέρα ἑσάμενοι, πάντα φοιτῶντες ἐπ' αἴαν

Πλουτοδόξαι, καὶ τοῦτο γέρας βασιλῆιον ἔσχον.

Sed quid opus est eorum fide, qui Deum non agnouerunt? Et quidem mihi videor totam hanc tractationem beati Petri verbis optime posse concludere: Pascite qui in vobis est, gregem: ut cum venerit princeps pastorum, Rex videlicet regum IESVS Christus, immarcescibilem gloriae coronam percipiatis.

FINIS.

Nihil habet sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidei contrarium aut Reipublicæ Offensivum.

Sebastianus Bær Delphius insignis Colleg. Eccles. S. Mariae Hamuerp. Flebanus & Canonicus.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ Catholicæ Maiestatis Privilegiis
cautum est, ne quis *Ioannis Antonij Viperani de*
Rege & Regno libri citra Christophori Plantini vo-
luntatē imprimat, aut alicubi impressum importet,
venalēve habeat à die impressionis absolutæ intra
sexennium. Qui secus faxit, confiscationis libro-
rum, & quinquaginta florenorum pœna, fisco Re-
gio exoluenda, multabitur: vt latius in Regiis di-
plomatis expressum est; datis Bruxellæ: 20. De-
cembri 1568.

Signat.

De Langhe.



PRIVILEGII CAESAREI SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacunq; sacri Romani imperij, & ditionis eius fines parent, quacunq; probatorum auctorum opera, quotquot vel haecenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, novis autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus civis & typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vilo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis, intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub poena decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindicti, residua verò pars praenominato Plantino cedat, praeter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicunque locorum nactus fuerit, per se, vel suos, adiumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inque suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Caesarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennae Austriae, die vigesima prima mensis Februarij, Anno Domini M. D. LXXV.

Subsig.

Maximilianus.

Ad mandatum sacrae
Caes. M. proprium

Haller.



